


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
37 H
3
ROMA



FRANCISCI LE ROY
INSVLANI

E SOCIETATE JESU
DOCTORIS THEOLOGI

EXERCITATIONVM THEOLOGICARVM
ADVERSVS HÆRESES ÆVI PRESENTIS.

SECTARVM, QVÆ RELIGIONIS
Reformationem prætendunt,

LABYRINTHVS INEXTRICABILIS.

IN QVO DEMONSTRATVR: NOVATORVM fidem, atque Doctrinam universam versari in circulo, nec ipsos proinde habere in rebus fidei Controversiis ubi pedem figant, nisi ad Ecclesiæ Catholicæ sensum, traditionemve recurrant.

Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Ezech. 13.

Vt iam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento Doctrinæ. *Ephes.* 4.

Se Illez de Scala


AVENIONE, Apud P. OFFRAY. ET VENEVNT.

LVGDVNI,

Apud IOANNEM CERTE sub signo Trinitatis.

M. DC. LXXVII.

CVM PERMISSIONE.







AVTORIS AD CANDIDVM LECTOREM.

DE HVIVS OPERIS OCCASIONE, SCOPO, INSCRIPTIONE.

PRÆFATIO.



On exiguum fluxit temporis ſpatium, Lector candide, & in Chriſto dilecte; ex quo datis in lucem; quæ fidelium pietatis, ſolidæque virtuti, inter Catholicos exaugendæ ſervirent, nonnullis meis lucubrationibus; inceſſit animum cupiditas, & iſti alteri, Catholici doctoris officio; quantum ſinerent occupationes aliæ, operæ quidpiam laboriſque commodandi: ut nempe tot ex ordine noſtro præclaris ſcriptoribus, qui ex ſpeciali inſtituti noſtri ratione de Errantium ſalute; ac reductione ſoliciti, iam olim ſuſceptum; adverſus novellas hæreſes; acre; nec improſperum; certamen, hodieque indefeſſi continuant; ſuccenturia-

Virg. 2. Æneid.

tus quodammodo, iisque permissus, & ipse senili dexterâ, non *imbelle* fortassis, *nec sine ictu*, in communem hostem *telum* jacerem; eiusque muneris partem aliquam in me derivarem, quod in Ecclesiæ Catholicæ filiis commendat S. Doctor Augustinus, libr. *de Agone Christiano* c. 12. *Ecclesia Catholica*, inquiens, *impetus eorum* (hæreticorum scilicet, & aliorum infidelium) *prioribus temporibus frangens, magis roborata est, non resistendo, sed perferendo. Nunc verò insidiosas eorum quæstiones, fide irridet, diligentiâ discutit, intelligentiâ dissoluit.* Sic ille.

Verumtamen cùm duplex occurrat in re præsenti, adversus hostes Ecclesiæ bellandi ratio: specialis una; quâ sigillatim de hoc, illove controverso Religionis dogmate, disputatio instituitur, eorumque circa illud error, inscitiaque convincitur. Generalis altera; quâ eorundem insulsus ac temerarius in negotio fidei procedendi modus, doctrinæ vanitas & inconstantia, dogmatum improbitas, perversitasque demonstratur, nullum ex professo impugnando, nisi causâ exempli, & quantum opus est ad eum effectum, qui

inten

intenditur. Priorem quidem rationem, principio sectandam susceperam, & iam nominatim, de corporis Christi in Sacramento veritate, quòd eius mysterij difficultas plerisque Novatorum, ab Ecclesiâ Romano-Catholica dissidendi, occasio seu prætextus existat, non pauca chartis mandaveram: cùm animadverso, quòd ea bellandi ratio, propter materiæ amplitudinem, longioris esset operæ; idque non aliud esse videretur, quàm malæ arboris sigillatim ramos præcidere, qui radice salvâ facilè repullulent: visum est potiùs, & ante omnia, quod contendit posterior ratio, securim ad radicem ponere; illud in vniversum ostendendo; nihil solidum esse aut subsistens in Religione, quæ prætenditur Reformata, sed sub specioso Reformationis prætextu, nihil nisi dogmata, partim Deo indigna, partim in Christum, eiusque legem contumeliosa, partim ad omnem vitæ licentiam, morumque corruptionem spectantia, in eâ latêre.

Cui rei, quemadmodum animo & spe confido, non parum conducet, prima hæc pars, nostrarum adversus hæreses Exercitationum.

Quam, non abhorrente à ſcopo meo appellatione, Labyrinthum ſectarum, quæ Religionis reformationem prætendunt, (eo nomine, non ſolum Calvinianam, ſed & Lutheranam, Zuinglianamque complexus) inſcribo.

Nam tametſi extare non neſciam, eo nomine tractatus varios, ab utravis parte contrariarum factionum, editos: attamen niſi me meus vehementer fallit animus, ſpeciali jure in eum, quem propono, tractatum ea cadere, atque quadrare, deprehendetur appellatio. In quo videlicet, iſtud ſpeciatim & multifariam oſtenſurus ſum: deſertâ Eccleſiæ Catholicæ diſciplinâ, apud ſectarios nullam ſupereſſe fidei normam aut regulam, in qua acquieſcat hominis prudentis animus, ſed quamcunque in partem ſe verſent, ipſos inextricabilibus conflictari erroribus; neque ullum uſquam patere, litium exitum; cùm tota eorum diſciplina, verſetur in circulo, & aſſiduè recurrat ad ipſum difficultatum principium.

Quod ſanè vel ipſa demonſtrat, eorum in doctrinâ fidei inſtabilitas, & inconſtantia: quando neque ipſi ſectarum conditо

dito

ditores, in iis quæ semel excogitarant & adamaverant, dogmatis, perstitere constantes, eorumque doctrina confestim in sectas varias sibique adversas, concisa sit; & quotidiana sit assiduaque eorum hominum, de secta in sectam transgressio, rursumque ad eam, quam deseruerant, regressio.

Quò apprimè facit, illa B. Hieronymi, in caput 16. Ezechielis, versu 44. animadversio. *Semper enim*, inquit, *errantium fluctuant pedes, nec sunt solida vestigia, quæ contra veritatem sunt: sed huc illucque discurrunt, & circumferuntur omni vento doctrinæ, dum de falsitate transeunt ad aliam falsitatem, & cùm in primis frustra se sudasse cognoscunt, ad secunda, tertiaque transcendunt.* Aut, ut ante illum, uno verbo expressit, Clemens Alexandrinus: *Necesse est illos per diversa devios errare, cùm verum iter amiserint.* L. 7. Strom. c. 9.

Verùm ad hanc meam cogitationem, opportunissima sunt Ambrosij verba, in Psalmum 118. enarratione 8. ubi, ad illum versum: *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua; ne scilicet* (inquit) *vestigium in invia & tortuosa deflectam*

ctam. Frequenter enim subdit) *ignorantes iter, si strata viarum sequentur, perveniunt quò desiderant pervenire, & carent erroris anfractu. Sin autem usurpent scire quod nesciunt, sed putent aliquà sequenda compendia, à publici actus itinere recedentes, erroris Labyrinthos frequenter incurrunt, ut eos de itinere deflexisse pœniteat; & ideo post multa laborum dispendia, ad iter quod reliquerunt, redire contendunt.*

Etenim, si rectè attendimus, hæc ipsa apprimè propriéque in Novatores nostros conveniunt; qui, obtentu sectandi viæ compendia, libertatem, inquam, Evangelicam, & iustitiam solius fidei, strata viarum, id est, communem ac publicam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam; viam utique salutis, per tot anteriora sæcula, tot sanctorum Patrum, doctorum, Martyrum, certissimis vestigiis, usurpatam, tritamque deserentes, & in devia ac tortuosa declinantes, in variorum errorum anfractus, & Labyrinthos (quæ ipsa vox nostra est) *incurrunt* irremeabiles. Seu, ut simili sensu, & voce itidem nobis usurpatâ, scripsisse video Tertullianum: *de unâ viâ, obliquos multos tramites, & Inextricabiles scindunt.* Quasi

Apolog. c. 46.

Quali in Labyrintho quandoque sese deprehensum, ingenuè fatetur Theodorus Beza epistola 1. ad Andream Duditium, in qua ita loquitur. *Exercuerunt me diu & multùm illæ ipsæ, quas describis cogitationes. Scilicet: nostros palantes omni doctrinæ vento, & in altum sublatos, modò ad hanc, modò ad illam partem deferri. Horum, quæ sit hodie de Religione sententia, scire fortasse possis; sed quæ cras de eadem futura sit opinio, neque tu certò affirmare queas. A capite ad calcem si percurras, nihil propemodum reperias ab uno affirmari, quod alter statìm non impium esse clamitet. In quo tandem Religionis capite, congruunt inter se Ecclesiæ, quæ Romano Pontifici, bellum indixerunt?* Sic ibi.

Quibus utique cogitationibus diu multumque se exercitum testatur Beza: donec nimirum, illos quasi scrupulos, adulta oppressit pertinacia, aut erroris sensum, ipsa errandi assiduitas obduxit.

Quanquam has ipsas, iisque affines, à nobis adducendas, cogitationes, ubi de æternâ animæ salute agitur, seriâ esse, atque attentâ animi reflexione dignas, præsens demonstrabit exercitatio.

In

In quâ; si quandoque fortassis, paulò prolixiùs, fortiùs, exaggeratiùs, videbor agere, excusabit me, seu ardor prælij; seu studium fraternæ salutis: hortante nos itidem his verbis S. Augustino: *Tanto magis debemus commemorare vanitatem hæreticorum, quanto magis quærimus salutem eorum.*

Conc. 2. in Ps. 38.

Illud insuper non vanè monebitur lector meus: id inter cætera in hoc tractatu studuisse me; ut crebris ipsorum adversariorum testimoniis in rem meam uterer, &, quod dici solet, tanquam de ipso bove lora sumerem: quòd hac ratione magis elucescat efficacitas, aut (ut potiùs istius magni Doctoris voces rursum usurpem) *violentia veritatis; quolibet aculeo; quibuslibet ungulis fortior, ad exprimendam confessionem.*

L. contra Donat. post. collat. c. 24.

Ac quandò in tantâ, sive locorum citandorum, sive etiam autorum varietate; fieri nequiit, ut vel locos singulos, ex ipsis qui citantur autoribus; haurirem, vel ab aliis relatos, cum eorundem textu conferrem: quod proximum fuit, id à me sedulò curatum est; ut eos non nisi ab iis scriptoribus, quos eo in genere versatissimos esse

constaret;

constaret, veluti mutuarer, & quorum fidem, ne ipsis quidem adversariis suspectam fuisse, compertum haberem.

Quos si qua in parte sua fefellerit diligentia: non tamen idcirco suspectandus erit noster hic labor, aut conatus etiam ea in parte effectu frustrandus: quando alioqui tot indubitatis testimoniis referta est ista tractatio, ut vel eorum pars dimidia, Novatorum erroribus obruendis, opprimendisque, sufficere possit. Quemadmodum neque duello victor fuisse negandus est, qui non uno letali ictu adversarium conficiat, tametsi hic nonnullas istius petitiones eluserit.

Ad extremum; Deum, Patrem luminum, omnibus precibus obsecro; ut per huius operis occasionem, suâ gratiâ illorum oculos aperiat, quorum utilitati ac saluti præsertim elaboratum est. Quod si hunc exoptatum fructum, vel scriptoris præpedierit indignitas, vel lectorum eluserit pertinacia: illa altera spes superérit, eritque solatio; me ad nonnullos fortasse vacillantes, in Catholicâ fide formandos, aut saltem probos Catholicos, in eadem tenaciùs retinendos, extremâ hæc ætate meâ, nonnihil operæ contulisse.


His

His salve, mi Lector, & cum his monitis, subi, si lubet, Labyrinthum hunc: &, si non propensis, aut faventibus, oculis, propterea forsitan, quòd animo, & mente dissimiliter affectus es: at humanis saltem & æquis, illum vel obiter lustrare, quæso, ne dedignare.

IOANNES



JOANNES PAVLVS OLIVA
PRÆPOSITVS GENERALIS
Societatis Jesu.


UM partem primam Exercitationum Theologicarum adversus hæreses ævi præsentis à P. FRANCISCO LE ROY, nostræ Societatis Sacerdote, conscriptam, aliquot Theologi eiusdem Societatis recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. Datum Romæ die trigesima Decembris 1675.

JOANNES PAVLVS OLIVA.

IMPRIMATVR,
SI VIDEBITVR REVERENDISSIMO PATRI,
MAGISTRO SAC. PAL. APOST.
I. de Angelis Archiep. vrbis vices-gerens.

Imprimatur.
F. RAIMVNDVS CAPISVCCVS, Ord. Præd. Sacri Palat. Apost. Magister.

ERRATA.

ERRATA.

PAginâ 3. lineâ 4. reuincunur, lege reuincuntur. p.6. l.14. defenderent, l. defenderet. p.10. l. 24. pante. l. parte. p.13. l. antep. Sanctis, l. Sancti. p.14. l.31. fatur, l. fatetur. p. 16. l. 2. accipisse. l. accepisse. p.27. l. 15. ipsa, l. ipso. p.41. l. 25. non igitur singulis priuatim, sed Ecclesiæ. l. non igitur singuli priuatim, sed Ecclesia.

Ibid. l. 29. repræsentatæ, l. repræsentata. p.48. l. 14. sive, l. sine. ibid. l. 31. quæ, l. qui. p.49. l. 8. seu, l. sed.

Ibid. l. 9. qud, l. quod. p.50. l. 33. nulla, l. nullo. p.54. l. vlt. neme l. nemo. p.59. l. 9. alipuando l. aliquando. p.98. l. 3. religionos. l. religiones. p.116. l. 10. pro l. præ. p.117. l. 10. reformata l. reformatas. p.143. l. 1. Puitanis l. Puritanis. p.154. l. 28. excæcæcauit l. excœcauit. p.156. l. 16. caliciem, l. calicem.

Ibid. l. vlt. qaod l. quod. p.167. l. 22. possunt l. possum. p.173. l. 23. cum re l. cùm rei. p.192. l. 5. Azio l. Ario. p. 218. l. 2. idem. Calvino l. idem cum Calvino. p.223. l. 24. cripsisse l. scripsisse. ibid. l. 32. tuam l. suam. p.234. l. vlt. aeqee l. atque. p.235. l. 1. Theandrita l. Theandrica. p.255. l. 18. Et componendæ l. Ei componendæ. p.256. l. 1. ciuilibet l. cuilibet. p.290. l. 14. messii l. Lessii.

Ibid. lissus l. missus. p.304. l. 22. Carlstadium l. Carolstadium. p.306. l. 21. princees l. princeps. p.309. l. 2. eæui, l. næui.

Ibid. l. 3. na l. eâ. p. 317. l. 15. Synoodo. l. Synodo. p.320. l. 26. sibi l. sint. p.355. l. 1. fires igitur nousit l. fides igitur non sit. p.370. l. 18. ud l. ad. p.378. l. 10. elut l. velut. Ibid. l. 16. quias l. quasi. p.382. l. 25. pessumdantis. l. pessundatis. p.396. l. 2. expresseum l. expressum. p.405. l. 12. sed l. se. p.406. l. 7. consilii l. concilii. p.411. l. 16. approbavimus l. probavimus.

SYLLABVS



SYLLABVS

CAPITVM HVIVS OPERIS.

CAPVT PRIMUM.

ẽ CAP.

CAP.

CAPVT XXXI.

CAPVT XXXII.

CAPVT XXXIII.

CAPVT XXXIV.

CAPVT XXXV.

CAPVT XXXVI.

CAPVT XXXVII.


CAPVT XXXVIII.

CAPVT XXXIX.

fidei



LABYRINTHVS INEXTRICABILIS SECTARVM, QVÆ RELIGIONIS REFORMATIONEM PRÆTENDVNT.



CAPVT PRIMVM.

Ab omni ævo consuesse hæreticos, verbum Dei scriptum, velut unicam atque perfectam fidei regulam, prætendere.



FUIT is iam inde ab ipsis Ecclesiæ Christianæ exordiis, eorum qui adversus illam, novis excogitatis hæresum formis, insurrexere, proprius genius, vsusque constans: vt se, pro vnicâ, eâque integrâ atque perfectâ, fidei, seu regula, seu normâ, scripturas sacras agnoscere prætenderent. Sive, vt specioso puri verbi Dei prætextu, simplicioribus, incautioribusve imponerent: sive, vt eâ ratione, obiectum si-



bi antiquitatis sensum,conciliorum decreta, patrum traditionem, vno quasi flatu, si fieri posset,disjicerent ac dissiparent.

Enim-vero de vetustis illis suæ ætatis hæreticis, ita loquitur Tertullian.libro de Præscriptionibus c.15.*Sed ipsi & de scripturis agunt,& de scripturis suadēt. Aliunde scilicet loqui libris possent,de rebus dei;nisi ex scripturis fidei*:Quos equidem(scripturas, velut figmentis suis vnicè faventes iactare solitos) tradit,observatione inveteratâ,& ab ipsa Apostolorum ætate, deductâ præscriptione, retundendos.

Subsecuti dein Ariani negabant vocem *homousion*, quod in scripturâ non extaret, esse admittendam. Et apud S. Hilarium libro contra constantium, Arianus sic loquens auditur: *Nolo verba, quæ non Scripta sunt legi.* Itemque Maximinus apud Augustinum libro 1. contra eundem: *Hæ verò voces*(aiebat) *quæ extra scripturam sunt, in nullo casu à nobis recipiuntur.*

Pelagiani autem apud eundem lib. de natura & gratia,cap.39. *Credamus* (aiunt) *quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus astruere.*

Eutyches denique in Concilio Chalcedonensi, actione 1. interrogabat Patres; *in qua scriptura iacent duæ naturæ*? omitto alios, qui legi possunt apud Coccium in Thesauro Catholico.

Horum igitur aliorumque maiorum suorum, æmuli Novatores nostri, (vt omnes in Ecclesiæ Catholicæ odio congruunt) & ipsi scripturam, pro vnica fidei regulâ, se habere iactant,

exclu

exclusâ omni traditione non ſcriptâ, Patrum cōſenſu, authoritate Conciliorum &c. quia nempe (vt rectè libro citato Tertullianus) *neceſſariò nolunt agnoſcere ea per quæ revincuntur.* Cap. 17.

Ita enim expreſſè Calvinus epiſtolâ contra Præcentorem Lugdunenſem: *Nihil credendum eſt quod non expreſſum ſit.* Cui conſentiunt ipſius in Gallia diſcipuli conſentaneè ad articulum 5. Confeſſionis ſuæ, quâ profitentur ſcripturam ſacram, eſſe omnis veritatis regulam: Et ad id quod rurſum Calvinus *l.4. Inſtit. c.8. §. 8.* vbi: *Eſto*, inquit, *hoc firmum axioma: non aliud habendum eſſe Dei verbum, cui detur in Eccleſia locus, quàm quod lege primum & Prophetis, deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur.*

Conſentit Zuinglius in explanatione articuli 64. vbi ſibi bellus venuſtuluſque viſus eſt, ita proloquens: *Mox incipis, clamare: Patres, nempe Patres ſic tradiderunt. Sed ego non Patres tibi refero, non Matres! ſed verbum Dei requiro.*

Tandem Reformatorum Protopatriarcha Lutherus, cùm in caput 1. Epiſtolæ ad Galatas, ſubmodeſto calamo iſta ſcripſiſſet: *Neque aliam doctrinam in Eccleſia tradi & audiri debere, quàm verbum Dei, hoc eſt ſacram ſcripturam*; in libro, quem ſcripſit adverſus Regem Angliæ, inſolentiùs efferveſcens, voce tumidâ ac tumulentâ: *Ego*, inquit, *adverſus dicta Patrum, hominum Angelorum, dæmonum. pono, non antiquum conſenſum, non multitudinem hominum, ſed vnius maieſtatus æternæ verbum.*

Rurſumque alibi, etiam magis intolerando faſtu, & eâ vocum arrogantiâ, quæ facilè prodat-

discipulum eius, de quo scriptum est: *Ipse est rex super universos filios superbiæ*; in libro nimirum *de servo arbitrio* contra Erasmum, editione primâ, sic excandescit: *Deponite quidquid armatura suppeditabunt veteres Orthodoxi, Theologorum Schola, authoritas Conciliorum & Pontificum, consensus tot sæculorum, ac totius populi Christiani, nihil recipimus, nisi scripturas; sed sic, vt penes nos solos sit certa authoritas interpretãdi. Quod nos interpretamur, hoc sensit spiritus sanctus: quod adferunt alij, quamvis magni, quamvis multi, à spiritu satanæ, & alienata mente profectum est.*

Quibus adde, quod ait libro contra statuta Ecclesiæ, & alibi non semel: *Iudex esse volo, non modò hominum, verùm & cunctorum Angelorum.* Sic ille, equidem novi typi Apostolus & exotici moris Evangelista.

Quibus animus non est, quicquam in præsentiâ opponere nisi pauculas illas, humillimi, sed summi, Doctoris, Augustini voces; supparem huic Fausti Manichæi insaniam libro contra ipsum 11. cap. 2. sic retundentis: *Tu ergo es regula veritatis quidquid contra te fuerit, non est verum?*

Interea contra hanc communem, vti vidimus, perpetuamque hæresum, adversus Ecclesiam Catholicam, per temporum intervalla insurgentium professionem; firma stat atque inconcussa ipsius Ecclesiæ sententia; scripturam sacram esse quidem primam atque supremam fidei divinæ, sive credendorum, regulam; non tamen adeò per se vnicè sufficientem, quin variis casibus, ad fidei dogmata, sive pernoscenda, sive tuenda, illi adjun-

adiungenda ſit ipſius Eccleſiæ, iam ab initio ad ea tempora, continuata atque deducta traditio.

Quæ ſanè veritas, tum ipſius ſcripturæ autoritate comprobari, tum perpetuo atque conſtanti Patrum conſenſu, efficaciter confirmari poteſt; & variis modis in ipſo decurſu fundabitur. Verùm quia hoc ipſum, quod efficere contendimus, nervoſo quodam compendio traditum expoſitumque videre eſt in priſci ſcriptoris S. Vincentij Lirinenſis aureo libello, quem ipſe inſcripſit: *commonitorium adverſus profanas vocum novitates*; placuit ex illo (omiſſis nunc aliis) quaſi in anteceſſum, quædam, quæ præſertim ad rem faciant, delibare, ijſque aditum ad ſubſeqnentem diſſertationem præmunire.

Is igitur, principio operis, ipſam in primis adſtruit Catholicam veritatem: edicens, ex communi nimirum ſanctorum Patrum Doctorumque iudicio; quod, *quicunque velit, exurgentium hæreſum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſanâ ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem, Domino adiuvante deberet; primo ſcilicet divinæ legis autoritate, tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione*, ſubditque hunc ſemper viguiſſe morem in Eccleſia Dei. *Cap. 1.*

Et aliis exemplis prætermiſſis, vnicum profert ab Apoſtolicâ ſede petitum, ex facto ſcilicet Stephani Papæ: Agrippini Carthaginenſis Epiſcopi errori, (qui baptizatos ab hæreticis rebaptizabat) reſiſtentis, & contrariam traditionem opponentis; atquæ adeò in Epiſtolâ, quæ tunc in Africam *Cap. 9.*

missa est,his verbis sancientis: *Nihil novandum, nisi quod traditum est.*

Ait autem se,istud exemplum, potissimùm ab Apostolicâ sede petere: *vt omnes luce Clarius viant* (ad quam Lucem vtinam oculos aperiant Novatores nostri) *Beatorum Apostolorum beata successio quantâ vi semper, quanto studio, quantâ contentione defenderit susceptæ semel religionis integritatem.*

Porrò, quod ad Vincentij ætatem religiosè custodivit sedes Apostolica (erat autem ille Augustini ævo suppar; quippe Cassiano æqualis) vt nempe receptas traditiones, adversus hæreses emergentes studiosissimè defenderent; hoc quoque Stephani successoribus,ad hæc vsque tempora curæ fuisse, vel ipsi sentiunt adversarij.

Intelligebant enim & ipsi quoque, vt præclaras eiusdem Vincentij voces adjiciam: *nihil aliud rationem pietatis admittere; nisi vt omnia, quâ fide à patribus suscepta forent, eâdem fide filiis consignarentur; nosque religionem, non quà vellemus, ducere; sed potiùs, quà illa duceret, sequi oportere: idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à maioribus accepta servare.*


Quod profectò salutare monitum intelligere, ac sequi nolunt, qui scripturæ prætextu, ad novitium sensum suum intellectæ, instituta maiorum,& priscæ fidei sinceritatem,temere insolenterque corrumpunt.

Quibus vtinam vel illa prosit quam extremam appono,ad eam ipsam rem peropportuna eiusdem autoris observatio. Etenim cùm animadverteret

verteret suæ doctrinæ objici posse, quod etiamnũ nobis obiectant sectarij: *Cùm perfectus sit scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat; quid opus est vt ei Ecclesiastica intelligentia iungatur autoritas?* Cap. 2.

Ad id respondet: eâ gratiâ id opus esse: *quia videlicet scripturam sacram, pro ipsa suâ altitudine, non vno eodemque sensu universi accipiunt; sed eiusdem eloquia aliter, atq; aliter alius atque alius, interpretatur: vt pœne quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namq; illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, &c.* (dicamus nos: aliter Lutherus, aliter Calvinus, aliter Zuinglius) *exponit. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varij erroris anfractus vt Prophetica & Apostolicæ interpretationis linea, secundùm Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur.* Hæc ille per omnia appositissimè, & quoad hoc caput attinet, præ cæteris scriptoribus, exquisitè.

Sed nunc adversus hunc pervetustum & rancidum Novatorum errorem, specialiùs agere insistamus.



CAPVT II.

Qui libri scripturæ sint Canonici non posse præcisè ex ipsa scripturâ, sed ex solâ Ecclesiæ traditione haberi.

PRiusquam quodcunque dogma, veluti à Deo in scripturis revelatum credamus; nobis certò

constare debet, hos vel illos scripturæ libros, ex quibus dogmatis veritas probatur, esse canonicos, sive reipsa esse scripturam divinam, & continere in se verbum Dei.

Alioqui enim cur potiùs, exempli gratiâ ea credimus, quæ traduntur in S. Marci Evangelio, quam in eo, quod præfert nomen S. Thomæ; nisi quia persuasi sumus, illud reipsa Canonicum, hoc autem apocryphum esse?

Atqui de hoc nobis certò constare nequit præcisè ex ipsa scripturâ; sed, quantum quidem fert hic rerum status, ex solâ innotescit Ecclesiæ Catholicæ traditione. Ergo, saltem ex ea parte, falsus est ille fidei Reformatæ articulus, quo asseritur scriptura sacra esse regula omnis veritatis.

Propositio subsumpta, in quâ solâ est difficultas, traditur inprimis à Patribus Tertulliano lib. de Præscriptionibus capit. 21. Irenæo lib. 3. c. 4. &c.

Facitque præsertim celebre dictum Augustini, lib. contra Epistolam fundamenti capit. 5. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret autoritas.*

Quod magni Doctoris verbum, præter morem commendans ipse Lutherus nobisque eâ ex parte favens, lib. de captivit. Babylonica, ita loquitur: *Hoc sanè habet Ecclesia quod potest discernere verbum Dei à verbis hominum: sicut Augustinus confitetur, se Evangelio credidisse, motum autoritate Ecclesiæ, quæ hoc esse Evangelium prædicabat.*

Atque ad hoc ipsum Scripturam per se non suffice-

sufficere ; ipso experimento evidens est,& quasi manu palpari potest. In quà enim , quæso scripturæ parte,aut quibus in locis, expressum habetur eos omnes libros determinatè , quos seu Lutherani, seu Calvinistæ pro Canonicis , habent, reipsa esse verbum Dei?cùm de eorum plerisque nulla scriptura reflexè loquatur : nec verò sufficere possit,quòd ij de quorum autoritate quæritur,sese testentur esse divinos.

Alioqui omnes qui pro divinis vēditantur, pro talibus agnoscendi essent:cùm è diverso ex Ezechiele v. g. manifestum sit , non defuisse falsos *Cap. 13.* Prophetas,qui dicerent, ***ait Dominus , ait Dominus;cùm Dominus non esset locutus.***

Et quamvis fortassis aliquis liber Canonicus, alium librum reflexè commendet, provt epistolas Pauli, commendat Petrus epistolæ 2. cap. 3. attamen & hoc ipsum rarum & singulare est;& hoc dato , erit aliunde ipsius libri A, commendantis librum B, autoritas comprobanda : quod fieri non poterit , absque processu in infinitum, aut vitiosa & inutili petitione principij. Et semper restaret quæstio ; vtrùm videlicet hic codex epistolarum Pauli,sit ille reipsa,quem commendat Petrus in Epistola : pro quo etiam denique recurrendum esset ad Ecclesiæ autoritatem.

Cuius rationis evidentiâ convicti plures Protestantes Angli , apud Ioannem Brerleium aliàs Breverleum in opere inscripto : ***Apologia Protestantium pro Romana Ecclesia*** , (cuius nos autoris in referendis sectariorum locis diligentiâ,in his Tractatibus libenter nec parcè vtemur) tanquam eum casum à suâ generali regulâ exciperent,

rent,

rent, censuerunt id quod hîc tradimus, extra controversiam esse debere. Ita enim videas istic, inter alios, loquentem Hokerum l.2. *De Ecclesiasticâ politiâ* : *Ante omnia*, inquit, *scire interest, quinam libri pro Canonicis habendi sint. Quod quidem è scripturis ipsis haberi non posse, omnes consentiunt. Non enim est*, vt subinde addit; *verbum Dei quod efficit, aut vnquam efficere potest, vt securi simus illud esse verbum Dei, sed sola Ecclesia id præstat. Et rursum ipsius Ecclesiæ autoritate, tanquam motivo externo, scripturas sacras dignosci, nemo est qui nesciat.*

Tract.1.c.3. sect.11. §.1.

Adjicio eidem consentientem Covellum: qui, *Proculdubio*, inquit, *probabilis est illa opinio Romanensium, si vltra non procedant, quâ dicunt scripturas in se quidem sanctas & divinas esse; vt tales autem à nobis agnosci per Ecclesiæ autoritatem.*

Denique, vt testatur suprà laudatus autor, plures alij è Protestantibus, nobiscum planè consentientes, concedunt Ecclesiæ potestatem, veras scripturas à falsis discernendi, & verbum Dei ab inventis hominum; adeóque hoc illi privilegium à spiritu sancto esse concessum.

Neque eâ in parte dispar est Lutheranorum Germanorum conditio.

Disp.1. de fide q.5. n.130.

Quippe qui in Colloquio Ratisponensi anni 1601. (cuius pars erat, qui de his testatur Adamus Tannerus,) eodem argumento compulsi sunt denique fateri; quinam libri sint, vel non sint Canonici, haberi ex traditione & testificatione Ecclesiæ: sed hanc traditionem negarunt pertinere ad dogmata aut articulos fidei, de quibus esset cõtroversia: sed tantùm ad historiam à spiritu sancto traditam.

Quasi

Quasi verò per hoc salvaretur ipsorum professio; quâ generaliter adstruebatur, nihil esse certâ fide credendum, quod non vel expressè contineatur in scripturâ, vel ex eâ deducatur per evidentem consequentiam. Aut perinde quasi, eo, de quo sermo est, admisso (sive illud dogma, aut articulus fidei appelletur, sive non) non sit facilis ad alias quoque traditiones stabiliendas progressio. Et nominatim, vt ad hoc ipsi vel inviti compellantur: omnes libros, quos Ecclesia Catholica pro Canonicis habet, pro Canonicis agnoscere; quandoquidem de illis omnibus, eius Ecclesiæ, cuius autoritate ducti, scripturas ipsas recipiebant, par esset traditio & testificatio.

Propter quæ, & alia eiusmodi in eadem Germaniâ David Paræus Calvinista, ab affinibus suis Lutheranis, eo in colloquio rem malè gestam, & causam communem proditam esse, conquestus est. Etenim, vt ait apud Tannerum nu. 143. *Si tantùm, vel præcipuè, ex traditione seu testificatione Ecclesiæ, id crederemus,* (nimirum hos vel illos libros esse Canonicos, quod priùs, quàm ea quæ in eâ scriptura continentur; nobis credendum est) *vtique principium fidei, immò tota fides nostra niteretur testimonio Ecclesiæ: scriptura verò non esset vnica norma fidei & dogmatum;* quod tamen volebant adversarij, seu Lutherani.

Addit igitur: eo in colloquio, ad argumentum Catholicorum negari non debuisse; quin illa de libris Canonicis assertio, sit dogma Catholicâ fide credendum, & articulus fidei: sed negandum fuisse, illud non contineri in scripturâ.

Quod

Quod tamen posterius, cùm, vt ostensum est, & rectè viderunt Protestantes citati, sit prorsus absurdum & improbabile: hinc iam sublucere & apparere incipit lectori meo, quas in angustias & Labyrinthos redigat eiusmodi homines, pruritus quidam, sive libido novitatis, & procax studium sese Ecclesiæ Romano-Catholicæ opponendi. Quod non vnâ deinceps occasione inculcabitur.



CAPVT III.

In proposita difficultate, ineptè à Calvino ad spiritum cuiusque privatum recurri.

IOannes Calvinus obiectionis à nobis factæ difficultatem sentiens, cùm neque ex ipsa scripturâ, quinam eius libri habendi essent Canonici, satis probari posse perspiceret; neque eâ gratiâ ad Ecclesiæ Catholicæ autoritatem recurrere, reliquæ suæ doctrinæ satis consentaneum esse sentiret: eam Philosophandi rationem excogitavit, vt diceret; de ipsâ librorum Canonicorum veritate, neutro horum modo satis constare; sed id per privatam spiritus sancti testificationem, & persuasionem interiorem, unicuique credentium compertum esse.

Ita enim expressum habetur in supradictâ cõfessione fidei, conceptâ nomine Gallorum, qui *vivere cupiant secundùm puritatem Evangelij Domini nostri IESV CHRISTI*, & Regi Franciæ

corum

eorum nomine oblatâ : cuius articulus IV. eſt huiuſmodi. *Agnoſcimus hos libros* (quos nempe articulo 3. enumeraverant) *Canonicos eſſe , & certiſſimam fidei noſtræ regulam ; non tam ex communi Eccleſiæ conſenſu , quàm per teſtimonium & interiorem perſuaſionem Spiritus Sancti , qui nos facit illos diſcernere ab aliis libris. Eccleſiaſtici*;,&c. Sic illi ; quod tamen aſſertum priuſquam directè refello ; placet duo quædam circa illud animadvertere.

Primùm ; verba illa , *non tam ex communi Ecc-ſiæ conſenſu* , eo in articulo perplexè & malignè eſſe poſita perinde atque ſi in eo librorum ſanctorum Canone conſtituendo, communis Eccleſiæ conſensûs rationem aliquam habuerint; cùm tamen diverſum , & multis partibus deficientem Canonem,adſtruant.

Alterum : neque Calviniſtas ipſos, hoc modo tueri Doctrinæ Confeſſionis ſuæ conſequentiam. Nam cùm manifeſtum ſit in hoc rerum ſtatu neceſſariam eſſe ad ſalutem,veritatem illam, quòd exempli gratia hi vel illi libri ſint Canonici & ſcriptura ſacra;eaque veritas,vti fatentur , non contineatur , nec exprimatur in ipsâ ſcripturâ: quomodo abſolutè & vniversè verum erit, quod articulo V.ſubiungitur ; *Verbum Dei contentum in ſcripturis ſanctis eſſe regulam omnis veritatis* , &c. quandoquidem eius veritatis, de qua agitur , regula aut norma non ſit ipſa ſcriptura divina,ſed ſecundùm nos quidem traditio Eccleſiæ Catholicæ;ſecundùm Calvinum atque ſequaces, teſtificatio & perſuaſio interior ſpiritus ſanctis:verùm his omiſſis,adverſus hanc ipſam teſtificationem interiorem directè facit.

Primùm;

Primùm ; quod ex ipsâ rei naturâ perabſurdum videatur, & ordinatiſſimæ Dei providentiæ in Eccleſia ſuâ conſtituendâ & gubernanda, nullo modò conveniens; vt prima & generalis credendorum regula (qualis eſt ſcriptura divina, ſeu libri Canonici) eaque totam communitatem per ſeſe obligans ; per ſe directè non promulgetur ipſi communitati credentium ; ſed occultâ quadam,atque arcanâ teſtificatione ſigillatim inſinuetur credentibus ; ex quo conſequenter,& velut per accidens , innoteſcat vniverſis.

Contrarium enim dictat communis ſenſus & recta ratio ; ſecundùm quam , tum legislatores, tum morales Philoſophi , vt axioma habent, quod l.9.Cod.de legibus,in hæc verba conſtitutũ eſt : *leges ſacratiſſimæ , quæ constringunt hominum vitas,intelligi ab omnibus debent:*idque(ex eorundem ſenſu vſuque)cùm ſint communis & publica vivendi regula,per communem & publicam promulgationem.

Atque ita videmus legem decalogi v.g.non ſigillatim à Deo impreſſam cordibus fidelium, ſed publicè per Moyſem in monte Sina promulgatam.legem item novam à S.Petro in die Pentecoſtes promulgatam populo ; atque inde per Apoſtolos,eorumve in Eccleſiâ gubernandâ ſucceſſores , inter credentes divulgatam ; non autem ſingulorum animis per ſe ab ipſo Deo inſinuatam. Quâ ratione convictus à Calviniſtis VVittakerus adverſus ſtapletonum ſcribens; fatur *traditionem Eccleſiaſticam eſſe argumẽtum,quo argui & convinci poſſit , qui libri Canonici ſunt, qui non ſunt:nam ſpiritus ſancti teſtimonium cùm privatum*

privatum & arcanum sit, ad alios docendos & refellendos accommodatum non est.

Deinde probatur in re propositâ recurrendum esse, non ad spiritum cuiusque, sed ad sensum atque traditionem Ecclesiæ; quòd divinæ veritatis, atque adeò verbi Dei, custodia, non singulis hominibus à Christo, sed ipsi Ecclesiæ eiusve Rectoribus, commissa sit. Quæ idcirco 1.Tim.3. dicitur *columna & firmamentum veritatis*: *quibus verbis*, ipsomet Calvino interprete lib.4. inst.c.1. §. 9. *Significat Paulus: ne intercidat veritas Dei in mundo, Ecclesiam esse fidam eius custodem, quia eius ministerio & operâ, voluit Deus puram verbi sui prædicationem conservari.* Ab eâ igitur, & non à singulis (qui vtique non sunt columna & firmamétum veritatis,) accipiendum est, quodnam sit legitimum verbum Dei; sive, qui libri reipsa sint scriptura divina, & hoc sensu, Canonici.

Atque ex his ipsis Calvini verbis vlteriùs inferas, quod non parum facit, ad controversiarum, quas hic tractamus, declarationem: ne intercideret veritas Dei in mundo, oportuisse, vt vsque ad Lutheri & Calvini tempora, superfuerit in mundo vera aliqua Ecclesia, in qua pura verbi Dei prædicatio, & consequenter ipsum verum ac purum Dei verbum, sive ipsa divinæ scripturæ veritas, à maioribus accepta conservaretur, & traderetur ad posteros. Quæ quidem alia esse non potuit, quàm Ecclesia Catholica: præter quam (vt ipsi agnoscunt) nulla alia fuit vera Dei Ecclesia, saltem visibilis.

Neque enim, opinor, nisi ridiculè quis dixerit, legitimum scripturæ canonem, vsque ad id temporis

poris conſervatum fuiſſe, ab Eccleſia aliquainviſibili, eumque ab ea, viſibiliter accepiſſe Calvinum, &c.

Quò ſpectat, quòd ipſe Calvinus cap. citato §. 4. expreſsè dicat, perneceſſariam eſſe viſibilis Eccleſiæ cognitionem: *quando non eſt alius in vitam ingreſsus, niſi nos ipſa concipiat in vtero, niſi pariat, niſi nos alat ſuis vberibus*; verâ ſcilicet & purâ verbi Dei prædicatione. Ergo & verbi Dei puram prædicationem, & veram ſcripturam accepit Calvinus ab Eccleſia viſibili, eâ videlicet in cuius vtero conceptus fuit, in quâ per baptiſmum renatus eſt, quæ non alia fuit quam Catholica Eccleſia, vt eſt manifeſtum.

Ipſo denique ingenuè, nec vno loco, agnoſcente Luthero, & nominatim in Epiſtola ad Anabaptiſtas: *in Papatu eſſe veram Scripturam, verum baptiſmum, verum Sacramentum altaris, veram remiſſionem peccatorum* &c. atque hæc exinde ad reformatos perveniſſe. *Alioqui* vt addit, *quid de iſtis omnibus ſciremus*?

Neque hic fortaſſe dixerit Calviniſta quiſpiā deveniſſe quidem à Papatu ad Reformatos librorum canonicorum notitiam: ſed cum inter eos, qui verè eſſent Canonici, plures admiſcerentur, qui reipſa tales non eſſent, oportuiſſe verè Canonicos diſcerni à non canonicis: quod iam non potuit abſolutè haberi ex conſenſu Eccleſiæ, ſed ſolùm per teſtimonium & perſuaſionem interiorem Spiritus Sancti.

Contrà enim facit; quod, etiam iſtâ ratione, contrà quàm contendit ipſe Calvinus, intercidiſſet veritas Dei in mundo: neque enim in Eccleſiâ

Catholi

Catholicâ, apud quam fuerunt conſervatæ divinæ Scripturæ, inventa fuiſſet, pura prædicatio verbi Dei; quia ibi non eſt pura verbi Dei prædicatio, vbi pro legitimo Dei verbo aliquod adulterinum vendicatur.

Poſtremò: recurſus ille ad ſpiritum cuiuſque privatum, non tantùm ex rei naturâ minùs idoneus, aut ſufficiens eſt in re præſenti; ſed, vt ipſa demonſtrat experientia, ambiguus, perplexus, & fallax eſt. Etenim cùm inter ipſos Reformatos non conveniat quinam reipſa ſint libri canonici; Calvino v. g. nonnullos admittente, quos rejicit Lutherus, & contra; utriſque interim ſpiritum internum, quo id diſcernant, allegantibus & ſibi aſſerentibus, iam hoc ipſo incertum ac perplexum remanet, penes quos reipſa reperiatur verus ſpiritus. Non enim utriſque competere poteſt; futurus alioqui ſibi contrarius: neque poteſt pars una efficaciter probare, ſibi illum potiùs, quàm alteri parti, convenire. Nam illæ Scripturæ, quæ allegantur: *Unctio docet vos de omnibus. Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit, &c.* quidquid ſit de earum ſenſu, indifferentes ſunt, nec magis loquuntur de Calviniſtis, quàm de Lutheranis. Præterquam quòd in hoc iam involuatur inutilis petitio principij; dum ex Scripturâ probatur ſpiritus privatus; & ex ſpiritu privato adſtruitur veritas ipſius ſcripturæ, ſed hæc & ſimilia magis declarabimus, infrà; vbi, aliâ occaſione, eundem Calvini ſpiritum privatum, magis ex profeſſo exagitabimus.

Addo hîc duntaxat, etiam intra Calvini ſcholam, ſimilem aliquam diſſenſionem, & vt ita lo-

quar, ſaporis interni differentiam, inveniri : ſiquidem Sebaſtianus Caſtellio, (ſeu vt alij ſcribunt, Caſtalio, vivente Calvino Genevenſis Ludimagiſter, teſte ipſo Beza in vita Calvini, ſentiebat Canticum Canticorum, non eſſe librum Canonicum, ſed colloquium profanè amatorium ipſius Salomonis cum amica quadam ſua; ut proinde illud abradi iuſſerit ex Canone, cùm magnâ reliquorum eiuſdem ſectæ offenſione.

Atqui ille quidem, cùm Calviniſmum profiteretur, perinde poterat, ad interiorem Spiritus ſancti perſuaſionem recurrere; vi cujus diceret; ſeſe quodam velut ſpirituali ſapore, ſentire in eo Salomonis Cantico, nihil ſanè divini ſpiritus, ſed multum profani ac laſcivi amoris, ineſſe.

Ipſe etiam Beza, docuit, hiſtoriam Adulteræ Ioan. 8. v. 3. meritò eſſe ſuſpectam, propterea quòd varij interpretes Græci ejus non meminerint : cùm interim è diverſo Calvinus, quia eadem ſemper à latinis recepta fuit, dicat; non eſſe, cur eam in uſum noſtrum accommodare (& ſcilicet, eam pro canonica habere) recuſemus. Cùm & alioqui in Bibliis Polyglottis, Londini anno 1657. editis eadem hiſtoria habeatur, non tantùm in textu Græco, ſed etiam in verſionibus Syriacâ, Perſicâ, Arabicâ, Æthiopicâ.

Ut jam nihil dicam, de magna inter Calviniſtas, verſionum ſcripturæ diverſitate, & contrarietate. Ipſo Caſtellione v. g. verſionem Bezæ, ut innumeris erroribus refertam improbante; Beza autem Caſtellionis verſionem, etiam ut impiam, rejiciente : de quo nos plura inferiùs.

Quæ

Quæ ſatis oſtendunt, manifeſtè falli, aut fallere velle, Calvinum; dùm gregalibus ſuis infallibilem attribuit interiorem Spiritus ſancti perſuaſionem, quâ veritatem ſacrorum librorum, & conſequenter verſionum ejus, certò diſcernant ac dijudicent. Sed mox plura, vt dixi. Ecce interim, ut undique malè fultus labat, ô Reformati, ille veſtræ fidei, ſeu confeſſionis, articulus: à quo tamen unicè pendet fidei veſtræ regula, quam vos profitemini eſſe ſolum verbum Dei ſcriptum.



CAPUT IV.

Magis universè oſtenditur, ſcripturam divinam per ſe præcisè ſumptam, ad fidei dogmata ſancienda, non vſquequaque ſufficientem eſſe.

PRopoſitio hæc multis rationibus probari ac declarari poteſt: nos eas, quæ generales ſunt complectemur in præſentiâ: ſpecialiùs poſtea, eas, quæ adversùs ſectas ſingulas propriè faciunt, provt feret, pertractaturi.

Prima igitur, eaque communis, propoſitionis noſtræ probatio, ex eo fundamento petitur, quòd Scriptura Sacra ſecundùm ſe ſumpta, adhibitâ etiam locorum inter ſe collatione, adhuc multis in locis, etiam in quibus de fidei noſtræ primariis myſteriis agitur, non ita clara ſit, atque aperta, quin ſenſus varios admittere poſſit; præ-

ſertim apud difficilia & moroſa quorundam ingenia. Proindéque non ſit per ſe uſquequaque ſufficiens, ad exortas de ipſius ſensû controverſias dirimendas.

Atque varia eſſe in libris ſacris per ſe perplexa & intellectu difficilia vel ex ipsâ in primis ſcripturâ conſtat : nominatim ex Apoſtoli Petri epiſt.2. cap.3. vbi de Pauli epiſtolis agens, dicit in eis contineri *quadam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant* (ſive, ut eſt in Græco, detorquent) *ad ſuam ipſorum perditionem.*

Deinde idipſum apertè demonſtrat, communis virorum, ſummo ingenio, doctrina,virtute præditorum; puta Auguſtini,Hieronymi,Chryſoſtomi, & tot aliorum, experientia : qui cùm omnem vitam in ipſius ſcripturæ flagrantiſſimo ſtudio poſuiſſent, eius multis in locis obſcuritatem difficultatémve experti & teſtificati ſunt.Auguſtinus certè epiſtola 111. *Obſcura eſt ſcriptura*, inquit, *& remota à ſenſibus hominum.* Et lib.18. de Civitate Dei, cap.32. agnoſcit in ſcripturâ multa eſſe umbroſa, quæ mentem quærentis exerceant. Tandemque epiſt.119. cap.1. modeſtiſſimè fatetur in ipſis ſanctis Scripturis, ſe multò plura neſcire, quàm ſcire.

Similiterque S. Hieronymus in caput 7. Eccl. ait : *Vir qui eruditus fuerit in ſcriptura, quanto plura ſcire cæperit, tanto ei in his quotidie oritur maior obſcuritas.* Vt ſupremâ quadam ſive arrogantiâ, ſive cæcitate, aut falſi loquentiâ laboraſſe oporteat, illos Novatorum coryphæos, Calvinum ſcilicet atque Lutherum. Dum hic in

Præfa

Præfatione articulorum à Leone X. damnatorum, disertè pronuntiat: *Scripturam esse, ipsam per se facillimam, apertissimam sui ipsius interpretem; tandemque clariorem omnium Patrum commentariis.* Et libro de servo arbitrio, de se audacissimè gloriatur: *Difficultatis nihil esse in sacris litteris, nullumque sibi afferri posse locum, quem ipse non facilè interpretetur.*

Ille autem suæ Institutionis libro 1. cap.7.§.2. confidenter fortiterque pronuntiat; velut illum observo tunc maximè facere, quandò ratione destituitur: *Non obscuriorem veritatis suæ sensum vltro scripturam præ se ferre; quàm coloris sui res albas ac nigras; saporis, suaves atque amaras.* Sic ille.

Quorum utrivis non immeritò occinas, verbum illud divini spiritus ad superbissimum Regem Tyri: *Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum à te.* Ezech.8.

Sapientior, inquam, tot illis præclaris veteris Ecclesiæ luminibus; qui, modestè de se sentientes, neque tam acuto ad illum scripturæ quasi colorem discernendum percipiendumque visu, neque ad saporem tam perfecto gustatu sese præditos esse senserunt.

Quid, quod ipse Calvinus, velut ejus quod priùs in eadem suâ Institutione scripserat immemor, l.3.c.2. §.4. de sui ipsius experimento fidem faciens, ita è diverso loquitur: *Quotidie legendo in multos locos* (scripturæ scilicet) *incidimus, qui nos ignorantiæ coarguunt. At hoc fræno in modestia nos Deus retinet, ut optimus etiam quisque doctor, ad discendum paratus sit.*



Lutherus pariter in suâ præfatione in Psalmos, quasi jam seipso sapientior ista pulchrè scribit, ut Augustinum jam loqui putes: *Multa*, ait, *sibi* (circa Psalterij intelligentiam videlicet) *reservavit spiritus, quo nos semper discipulos habeat; multa solùm ostendit, ut alliciat; multa tradit, ut afficiat.* Et ista Lutherus.

Verumtamen, quid his hominibus facias, qui, ut est in proverbio, eodem ore calidum & frigidum efflantes, satis ostendunt, se in eorum esse numero, quos & instabiles suprà appellat Petrus Apostolus, Scripturas sacras, aut in iis tradita mysteria, ad suam ipsorum perditionem, depravantes.

Neque hactenus dictis, saltem universè opponi potest, (quod primum est adversariorum effugium) ea, quæ in scripturâ etiam viris doctis minùs pervia sunt, duntaxat esse res minutiores, neque ad præcipua fidei nostræ mysteria, aut scitu necessaria dogmata, pertinentes.

Contrà enim facit: quod & Arianis v.g. obscuræ visæ sunt illæ scripturæ, quæ mysterij SS. Trinitatis veritatem, & Nestorianis quæ divinæ Incarnationis substantiam, adstruunt. Et Iudæis, illæ, quæ in veteri testamento veri Messiæ adventum præmonstrant ac præstruunt.

Unde est illud Augustini vulgatum pronuntiatum.
2. Cor. 3. *Iudæi legunt, & non intelligunt, habentes velamen positum super cor suum. Quod à suis spiritualibus oculis auferri, rogabat Propheta, cùm diceret: Revela oculos meos, & considerabo mira-*
Ps. 118. *bilia de lege tuâ. Item: Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.*

Sed

Sed neque ab illis, contra quos agimus, negâri poteſt; in epiſtola Pauli ad Romanos, tradi præcipua quædam fidei dogmata, putà de prædeſtinatione, juſtificatione, fide & operibus: & tamen, teſte Hieronymo, viro (ſiquis alius) in ſacris Scripturis exercitatiſſimo, epiſtolâ ad Algaſiam quæſt.8. ipſaque adeò, etiam ſectariorum experientiâ: *Omnis epiſtola ad Romanos nimiis obſcuritatibus involuta eſt.*

Denique ſi ſcriptura divina, quoad ipſa ſaltem præcipua fidei myſteria, adeò ac ipſi dicunt perſpicua atque clara eſt; cur igitur etiam in præcipuis illis myſteriis, de legitimo ſcripturæ ſenſu, ipſi inter ſeſe, puta Lutherani à Calviniſtis, immò ipſi inter ſe eiuſdem ſectæ profeſſores atque Doctores, tam pertinaciter diſſentiunt? Cur verba illa: *Hoc eſt corpus meum*; quæ Catholicis, in ſenſu obvio atque proprio, clariſſima apparent; Sacramentariis adeò videntur obſcura, ideóque ea ad ſenſus improprios, eoſque inter ſe diverſiſſimos, detorquent; & ipſe Calvinus eam omnem rem modo novo, & ſive in Eccleſia Catholica, ſive in aliorum Hæreticorum Synagogis, anteà inaudito, interpretatur.

Cur denique vbi inter ipſos de aliquo dogmate, ipſoque adeò ſcripturæ ſenſu, gravior aliqua controverſia ſuboritur, ei ſopiendæ colloquia inſtituunt, Synodos congregant, ſcripturas excutiunt, tandemque de ipſo verbi Dei legitimo ſenſu decernunt? Hæc omnia ſupervacua, & fruſtrà ſint, ſi ipſa ſcriptura, uti dictitant, per ſeipſam clariſſima, apertiſſima, facillima eſt?

Sed neque hic valet generatim, illud alterum illorum effugium: scripturam nimirùm dici per se ipsam claram esse; in quantùm, ut ajunt, sui ipsius interpres est; ita ut, si quispiam obscurior locus occurrat, possit per ipsam scripturam, hoc est, per alios scripturæ locos, collatione factâ, clarus evadere examinanti.

Etenim in primis contrarium apparet, in controversiis, inter sectarum coryphæos atque Doctores; qui utique Biblia Sacra, diurnâ nocturnaque manu assiduè versarunt, & quâ valuerunt diligentiâ, scripturæ locos conferentes, quis eorum esset sensus legitimus, quantum profitentur, optimâ fide indagaverunt. Nam cùm, hoc non obstante, inter ipsos minùs conveniat; necesse est adhuc, scripturæ sensum, atque adeò dogmatis veritatem, obscuram restare; aut alteros saltem putà Lutheranos, aut Calvinistas, in re manifestâ cæcutire.

Et verò, ut demus certis casibus (qui rariores sunt) plures inveniri scripturæ locos ad idem dogma pertinentes, & quorum inter se institui possit collatio, ad rei veritatem deprehendendam: tamen quia non est per se evidens, uter ex altero tanquam clariori explicandus sit; cùm qui uni clarior apparet, alteri videatur obscurior; & qui priùs erat clarissimus, ipsâ collatione subinde reddatur obscurissimus: hinc etiam universè verùm non est; quod ad controversias ex ipsâ scripturâ dirimendas, sufficiat ista variorum locorum collatio.

Quod quidem apertè declaratur, in exemplo supra posito, de verbis Christi: *Hoc est corpus meum*;

meum:qui locus per ſe & in ſenſu obvio, clariſſimꝰ videtur Catholicis & Lutheranis, Zuinglianis autem & Calviniſtis, ex collatione cum aliis locis, videtur obſcuriſſimus. Vt qui v.g. exiſtiment, verba illa Ioannis 6. *Spiritus eſt qui vivificat: caro non prodeſt quicquam: verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*; quæ complures ſenſus patiuntur, priorum veritati non repugnantes; clariora eſſe, & efficaciora, ad veram & realem corporis Chriſti in Sacramento præſentiam negandam, quàm priora illa ad adſtruendam. Atque hæc de primâ ac primariâ propoſitionis noſtræ probatione.



CAPVT V.

Nonnullæ aliæ rationes ad idem propoſitum adductæ.

VLteriùs autem exinde probatur confirmatúrve ſuprà poſita à nobis propoſitio: Quòd omnes hæreſes, ex perverſo ſenſu Sacræ Scripturæ, coortæ ſint: omnes adeò hæreſum autores (velut SS. Patres de ſuo quiſque ſæculo teſtantur) divinas litteras pro ſe facere protervè jactarint, idque ſubinde cùm ea veriſimilitudine, ut niſi aſcito traditionis præſidio, non poſſent, facilè ex ſcripturis convinci; aut per eas ſolitariè & per ſe ſumptas, finis controverſiis in Eccſia exortis imponi.

Tertullianum ſuprà vidimus, teſtantem ſui

xvi

ævi hæreticos, hæreses suas, de scripturis suadere solitos.

Hilarius lib.2. ad Constantium Augustum: *Memento*(inquit) *neminem hæreticorum esse, qui se nunc, non secundùm scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.* Augustinus Epist.222. *Omnes hæretici,* inquit, *qui scripturas in autoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari; cùm suos potius sectentur errores; ac per hoc, non quòd eas contemnant, sed quòd non intelligunt, hæretici sunt.*

Non intelligunt autem; quia spiritu suo in iis examinandis ducuntur, neque recurrunt ad sensum Ecclesiæ; quæ, uti dictum, est, eo sensu est columna veritatis, quòd sacrorum librorum, non tantùm custos, sed legitima quoque interpres est.

Et libro de Genesi imperfecto cap.1. *Multi hæretici* (inquit S. Doctor) *ad suam sententiam, quæ præter fidem est Catholicæ Ecclesiæ expositionem scripturarum divinarum habere consueverunt. Quas* utique (ut addit libro 3.contra Donatistas cap.19.) *tenent ad speciem, non ad salutem.*

Tandemque, ut vel in hoc etiam, consuetum hodiéque nostris Novatoribus morem, possis agnoscere: ita generatim de Hæreticis scribit, *Cap. 35.* Tract. aliàs citato Vincentius Lirinensis: *Sive apud suos, sive apud alienos, sive publicè, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam penè de suo proferunt, quod non etiam scripturæ verbis adumbrare conentur.* Sic ille.

Sed placet hæc ipsa & Lutheri testimonio confirmare: quippe qui scribens in caput 14.Geneseos:

neseos:

neseos : dicit, *omnibus sæculis, nomine Dei & scripturâ, satanam ad blasphemias abusum esse*, & expressiùs in rem nostram, in præfatione cuiusdam historiæ apud Gaulterium; hac ipsa de causa non dubitavit, Sacram scripturam appellare *Librum hæreticorum.*

Postrema denique propositionis nostræ ratio ex eo petatur, quòd celeberrima quæque Ecclesiæ sanctæ Concilia (quorum prima quatuor libenter admittit ipse Calvinus) in fidei Catholicæ definitione, seu declaratione, non tam scripturas per se spectatas, quàm, provt habebat recepta Ecclesiæ traditio, intellectas, pro fundamento suorum decretorum habuerint.

Sic enim expresè de ipsa Concilio Nicæno primo, in quo Arij error damnatus est, testatur qui ei Concilio interfuit S. Athanasius, libro de decretis Nicænæ Synodi, contra Eusebium; vbi: *Ecce nos quidem*, inquit, *à patribus ad patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus.* Et Theodoretus lib. 1. Historiæ cap.8. disertissimè ait : *Arium damnatum traditione non scripta.* Idemque de aliis Synodis ; & nominatim de 2.Nicæna (quæ est septima Generalis) videre est in Actione 2. vbi Patres decreto de sacris imaginibus habendis & venerandis, subscribentes, id maximâ ex parte protestantur, se juxta veterem traditionem, decretum illud recipere. Vniversè autem suprà laudatus Lirinensis, capite 32. *Hoc*, inquit, *semper, neque quicquam præterea, hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia; nisi, ut quod priùs à majoribus solâ traditione susceperat.*

ceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret. Sic ille.

At si obiter hæreas, quo pede hîc possit stare Calvinus, qui non recipit traditiones, nec Nicænam primam v.g. audet rejicere. Ille quidem sibi hac in parte, bellè cavere visus est, dum libro 4. Instit. cap.9. §. 8. ita præclarè loquitur: *Priscas illas Synodos, ut Nicænam &c. libenter amplectimur, reveremurque ut sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata. Nihil enim continent, quàm puram & nativam scripturæ interpretationem, quam SS. Patres, spirituali prudentia, ad frangendos Religionis hostes, accommodarunt,* Sic ille.

Atenim, præterquam quod in Admonitione ad fratres Polonos, illas improbet Nicæni Symboli voces, quibus Dei filius, dicitur *Deus de Deo:* quod tamen symbolum, verbo Dei consentaneum, articulo 5. suæ confessionis admiserat: præterea, inquam, meminisse debuerat, sese alibi eas scripturas, quibus Patres adversus Arianos usi sunt, in sensum alium, detorquere: nominatim autem de palmari illo loco ex Ioannis 10.capite: *Ego & Pater unum sumus*: reformatâ scilicet modestiâ sic pronuntiare: *Abusi sunt hoc loco veteres, ut probarent Christum Patri ὁμοούσιον. Neque enim Christus de unitate substantiæ disputat, sed de consensu, quem cum Patre habet.* Quæ nempe est ipsa Arianorum ad eum locum responsio.

Vbi ergo nunc illa, pura & nativa scripturæ interpretatio; quam ipsomet Calvino teste SS. Patres spirituali prudentiâ ad frangendos Religionis

gionis

gionis hostes, accommodarunt, sive adhibuerunt?

Quibus adde, eundem Calvinum, opusculo *de verâ Ecclesiâ*, in eodem Concilio aliud nihil, præter fœnum, stramen, ligna, stipulas agnoscere.

Verùm eâ ipsa in materiâ, eodem cum Magistro suo vertiginis spiritu agitatum Bezam, etiam obiter, Lector, attende.

Quippe qui in primis unâ ex parte, prædictam Synodum, uti & Ephesinam &c. non tantùm recipit, & libenter amplectitur cum Calvino, sed eandem adeò extollit, epistolâ 81. vt dicat: *Consessu Synodi Nicænæ, nihil unquam sanctius, nihil augustius ab Apostolorum tempore sol unquam aspexit.* Additque: *constare uno Dei verbo Patres nixos fuisse.*

Ex alterâ autem; in Præfatione novi Testamenti, ait; quod in Concilio Nicæno Satan jaciebat fundamenta primatus Romani Pontificis, invocationis Divorum, adorationis imaginum, liberi arbitrij, meriti, indulgentiarum, & eiusmodi spurcitias.

Quæ quidem inter se quis conciliet? Nam quomodo verum est; nihil sanctius fuisse illo consessu, in quo, id ita agente Satana, tot spurcitiarum fundamenta jaciebantur; & nominatim Anti-christiani primatûs Romani Pontificis? Cujus tamen primatus, non fundamenta duntaxat illic jacta sunt, sed è contrà, declarata antiquitas, & ab ipsâ synodo roborata: uti demonstrant scriptores Catholici, ex ipsius synodi decretis, partim ex Concilio Chalcedonensi, partim,

tim, & præcipuè, ex Arabicâ & Chaldaicâ Nicenorum canonum translatione (quando illa alioqui interciderunt) petitis.

Sed,ut ad extremum,rei seriæ jocularium quiddam aspergam; quando, juxta Calvinum, Romana sedes, nonnisi post magnum Gregorium, præsumpto manifestè primatu, Anti-christiana facta est: magnam oportet, & operosam, extitisse eam molem, cujus fundamenta in Concilio Nicæno jacta, nonnisi post annos trecentos, in spectabilem aliquam formam assurrexerint.



CAPUT VI.

Proprium esse hæresis genium, in rebus fidei controversis, adversus publicum Ecclesiæ sensum, privatas quasdam inspirationes, revelationésve, prætendere.

NOvatorum plerique, cùm pro discernendo, in re controversâ, vero alicujus Scripturæ sensu, Ecclesiæ Catholicæ definitione, seu traditione rejectâ, non haberent aliud κριτήριον seu dijudicativum discerniculúmve, quo recurrerent; dixerunt; sese, veluti veras scripturas à falsis, ita legitimum earum sensum ab apparenti tantùm, privatâ quadam inspiratione Dei, & intimo quasi sapore spirituali, discernere; neque alium ulteriùs controversiarum, in fidei negotio, judicem sive arbitrum, requirendum aut agnoscendum esse.

Ad

Ad quod equidem omnis libertatis & licentiæ in Religionis rebus, asylum, recurrisse denique Libertinos nescio quos, aut fanaticos Anabaptistas, nihil adeò mirum est.

Sed quod etiam Ioannes Calvinus, vir neque hebes, neque incallidus, privatum fidelis cujusque spiritum; de quo interim sitne ater, an albus, aliunde disquirendum esset; velut vltimum rerum credendarum fundamentum, seu legitimi scripturæ sensus critirium constituerit, idque vel ipse seriò persuasum habuerit, vel cordatis suæ sectæ hominibus persuasurum se crediderit, equidem satis mirari non possum.

Cæterùm id minùs mirabitur, qui attenderit, quod præfert lemma præsentis capitis: Perpetuum itidem fuisse Hæreticorum genium; ut, ab Ecclesiâ Catholicâ secessionem facientes, & à receptâ ejus doctrinâ, ad profanas vocum novitates, transilientes, quò facti sui invidiam, hoc tanquam obtentu protegerent; sese doctrinam suam per arcanam spiritus persuasionem, aut Deo aliter illos privatim illuminante; accepisse prætenderent. Quod sanè & experimento, crebrisque exemplis compertum: & Patres varij speciatim observavere.

Et quidem S. Augustinus, quosdam, etiam ex iis *qui Christi nomine gloriantur*, memorans, *qui se videntes, non solùm jactant, sed etiam à Christo illuminatos videri volunt. Sunt autem*, subdit, *hæretici*. Illos videlicet eo ipso veluti charactere designans. *Tract. 45. in Ioan.*

Expressiùs autem Magnus Gregorius, ad illa Iobi cap. 4. *Porrò ad me dictum est verbum absconditum,* *L. 5. Moral. cap. 18.*

conditum, & quasi furtivè suscepit auris mea venas susurri ejus. Quæ verba, non sancti Iob, sed unius sunt ex amicis ejus; per quos eo loco censet S.Pontifex, hæreticos adumbrari: de quibus sic loquitur. *Verbum absconditum hæretici audire se simulant, ut auditorum mentibus, quandam prædicationis suæ reverentiam obducant. Communem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur. Occulta vel nova semper exquirunt, quæ dum alij nesciunt, apud imperitorum mentes, ipsi de scientiæ singularitate gloriantur. Quam occultant, ut diximus, insinuant; quia scilicet, ut admirationem ostendere valeant, hanc se latenter accepisse confirmant.*

Et capite sequenti. *Sæpe hæretici, Deum sibi imaginabiliter fingunt, quem intueri spiritaliter nequeunt, ejusque vocem, quasi auræ lenis, audire se perhibent; quia ad secreta illius cognoscenda quasi se esse cæteris familiariores gaudent. Non enim ea docent, quæ Deus publicè loquitur* (per Ecclesiam suam videlicet, veluti publicam atque communem divinæ locutionis interpretem) *sed quæ eorum auri* (ut quidem dictitant) *quasi latenter inspirantur.*

Quæ postremæ Pontificis sapientissimi voces, in huius ævi sectarios, & nominatim Calvinistas, apprimè conveniunt. Quippè qui, eo ipso quod pro ultimâ fidei normâ, sive ultimâ regulæ credendi applicatione, ad spiritum privatum, unicuique fideli, legitimum scripturæ sensum, & cæteris occultas, arcanasque veritates, latenter inspirantem, recurrunt; jam non ea quæ Deus publicè loquitur, docent; sed ea quæ suus cuique spiritus

ſpiritus privatim inſinuat, populis credenda proponunt. Nam tametſi omnes, verbum Dei, quod in ſcripturis ſacris publicè loquitur, ſeſe velut unicam fidei, regulam ſequi perhibeant: tamen & apertum ac manifeſtum ſcripturæ ſenſum, ubi is privato ipſorum ſpiritui minùs arridet, ad improprias interpretationes, atque ab hactenus receptâ Eccleſiæ ſententiâ alienas, pro animi ſui libidine deflectunt. Aut ſi quando de ipſo ſcripturæ ſenſu legitima aliqua ſuboritur dubitatio: quo proinde caſu nondum Deus palam, aut prorſus apertè loquitur: non ad publicum Eccleſiæ judicium determinationémve (cui utique, uti mox expreſſiùs dicam, à Chriſto, non tantùm divinarum ſcripturarum fidelis cuſtodia, verùm etiam de ſenſu legitimo certa determinatio commiſſa eſt) ſe referunt; ſed rurſum ad verbum abſconditum, & ſibi latenter factas inſpirationes refugiunt: neque interim quod Chriſtus ſuis promiſit Apoſtolis, ullis ſignis, aut virtutibus, veluti publicâ Dei tacitè loquentis voce, latenter accepta dogmata confirmant.

Atque hæc ex Beato Gregorio. Sed enim huic magno Pontifici præiverat verbis eundem in ſenſum præclaris, etiam ſeſquiſæculo anterior (ut & hinc colligas, eandem perpetuò extitiſſe hæreſum indolem) in Commonitorio ſuo Vincentius Lirinenſis; ubi commemorato, quemadmodum hæretici omnes, ſcripturas jactent innumeras, verùm non in ſenſu Eccleſiæ Catholicæ intellectas, id confirmans ſubdit: *Audent polliceri & docere, quod in Eccleſiâ ſuâ, id eſt, in communionis ſuæ conventiculo, magna & ſpecialis, &* Cap. 37.

C *proſus*

prorsus personalis (notentur hæ voces) *quadam sit Dei gratia; adeò ut sine labore, sine ullo studio, sine ullâ industriâ, etiamsi, nec quærant, nec petant, nec pulsent, quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita divinitus dispensentur, ut angelicis evecti manibus* (quod ait respiciens ad verba tentatoris, Matth.4. quæ ibidem protulerat) *id est, angelicâ protectione servati nunquam possint offendere pedem suum, id est, nunquam scandalizari. Sic ibi.* Quorum quidem extrema manifestè in Calvinistas congruunt, fidem semel ab ipsis susceptam amitti non posse prædicantes, sed illæ voces: *specialis & prorsus personalis Dei gratia*; non obscurè innuunt, assertam ab illis, unicuique privatim inditam, divini spiritus de legitimo scripturæ sensu clarè discernendo, illustrationem; aut etiam illam, quam jactant, fidem specialem; sive indubitatam, quam apud illos unusquisque fidelis habeat, de sua perseverantia atque salute, persuasionem.

His adde, quod suprà laudatus B.Papa Gregorius, alio Tractatu sapienter admonet: *Esse quidem nonnullos, qui ita per magisterium spiritus intrinsecus docentur, ut etsi eis exteriùs humani magisterij disciplina desit, magistri intimi censura non desit. Eorum tamẽ libertas ab infirmis in exemplum non est habenda: ne dum se quisque similiter sancto spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.*

Lib.1. dial. c.1.

Et verò Annales Ecclesiasticos, aut Tractatus eorum, qui de hæresibus scripserunt, attendenti, manifestè apparebit, plerosque earum conditores, quò personæ suæ, sive doctrinæ, autoritatem

conci

conciliarent; quemadmodum olim Numa Pompilius, ex nocturno suo cum Ægeria congressu, & Q. Sertorius ex Dianæ per cervam candidam admonitu, arcanæ rerum variarum peritiæ famam apud populum captavere: ita illos, sive ex occultâ cum Dei spiritu, aut Angelis ejus, in vulgus jactatâ familiaritate, sive etiam sese pro Christi Apostolis, aut pro Paracleto, & Christo ipso venditando, doctrinam suam vulgo effecisse plausibilem; eoque commento complures in fraudem induxisse. Ita enim in primis Simon Magus, hæresiarcharum in novâ lege dux & exemplar, uti legimus Actorum 8. cap. *Seducebat gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum:* favente ei populo universo, atque dicente: *Hic est virtus Dei, qua vocatur magna.*

Et veluti de eo, in caput 24. Matthæi, testatur B. Hieronymus, scripta sua his titulis consignabat: *Ego sum sermo Dei, ego speciosus, ego Paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei.* Et sic ille quidem, apud eos qui Deum verum agnoscerent: nam apud Romanos v. g. eorum se phrasi accommodans, sese Iovem dicebat, meretricem autem suam, Minervam; teste Augustino, de Hæresibus capite 1.

Montanus itidem Cataphrygum autor, sese Paracletum esse jactabat, & sibi adhærentes Priscam & Maximillam, tanquam Prophetissas haberi volebat.

Manichæus porrò, juxta nomen suum, stultissimæ sectæ repertor, sese Iesu Christi inscribebat Apostolum. Sic enim incipit apud Augustinum, ejus epistola, quam vocant, *fundamenti:*

Manichæus Apostolus Iesu Christi, providentia Dei Patris: Hæc sunt salutaria verba, de perenni ac vivo fonte &c. Aut illa alia, apud Epiphanium, hæresi 66. *Manichæus Apostolus Iesu Christi: cùm ad corrigendum genus humanum missus fuerim &c.* Quam quidem formulam ab insano illo mutuare poterat, sibi que usurpare Calvinus; ut qui & Deũ per os suum loqui testificatus sit, idcircò à Beza *os Domini*, & Galliæ dictus Apostolus; & sese venisse ad reformandum orbem Christianum, tum ipso assumpto Religionis reformatæ nomine, tum confessionis suæ articulo 31. haud obscurè professus.

Sed & ipsum Faustum Manichæum, spiritum sanctum plenariâ autoritate corporaliter esse in se, persuadere, conatum, testis est etiam Augustinus *libro 6. confess. cap. 5.*

Porrò ut ad recentiores descendam: quemadmodum olim Mahometes per Angelum Gabrielem; ita per Razielem, Guilielmus Postelluos, varia se mysteria accepisse profitebatur. At Michaël Servetus, se unicum jactabat universi orbis terrarum Prophetam. Ioannes Loydensis, se esse Christum. David Georgius, apud Canisium, etiam se Christo majorem: tandémque Guilielmus Hacquetus, apud Fitzsimon in Britannomachia, sese Christo parem, orbisque totius principem ac Regem faciebat.

Prænon. ad l. decor. upte lis &c.

Neque verò levem hoc in genere fastum, præsumptionémve divini spiritus, spirant illa Lutheri, Tractatu adversùs falsò nominatum statum Ecclesiasticum. Vbi: *En appello me* (inquit) *Ecclesiasten Dei gratiâ; & eo titulo insignivi meipsum.*

ipsum, eumque titulum mihi sumo magnifico vestri & satanæ contemptu. Et, si Evangelistam, me etiam, Dei gratiâ, nominarem &c. Certus enim sum, sic Christum me nominare, & pro Ecclesiaste me habere, qui meæ doctrinæ Magister est; eumque testem non dubito esse futurum in die illo magni judicij, hanc doctrinam non esse meam, sed spiritus Domini, purique & sinceri Evangelij. Et rursum postea: *Dei enim doctrina est, Dei, inquam, & non mea.*

De quibus, & his affinibus, ejusdem quinti Evangelistæ verbis, aliâ occasione nobis magis ex professo dicendum.



CAPUT VII.

Perfatuum videri, in sacra doctrinæ controversiis, non ad publicum Ecclesiæ sensum, sed ad privatam cujusque fidelis persuasionem, recurrere.

ARgumentum hoc delibavimus suprà, cùm de principio, quo libri canonici à non canonicis discerni possint esset nobis cum Calvinistis suscepta disceptatio: ubi ostendimus, neque opportuno rerum ordini, neque consuetæ Dei providentiæ congruere; ut quarum rerum declaratio ac notitia directè & per se universam respicit Ecclesiam, eæ non publicâ atque solenni voce ei denuntientur; ex quo earum notitia, exinde dimanet ad singulos;

ſed privatim atque ſcorſum intimentur ſingulis, & ſic, ex conſequenti, ipſi innoteſcant Eccleſiæ univerſitati.

Sed quoniam idem principium ab illis latiùs generaliuſque extenditur, ad omnes videlicet caſus, in quibus de dogmatibus fidei, aut ipſo ſcripturæ legitimo ſenſu, contingit inter nos, atque illos, eſſe controverſiam; erit nobis hoc loco, ejus commenti inſulſitas, & (ut loqui cæpimus) fatuitas, ſpecialiùs demonſtranda.

Principiò autem illud ponimus: Eccleſiam Dei vivi, non hoc ſenſu tantùm dici columnam & firmamentum veritatis, quòd ſacrorum librorum, fida ſit cuſtos & quaſi depoſitaria; verùm etiam, quòd legitima ſit & publica verbi Dei interpres, atque, ut ita loquar, fidelis conda & proma veritatum, quas nobis Dei ſapientia, velut ad ſalutem noſtram conducibiles, quomodocumque revelaverit.

Alioqui enim quomodo dicetur firmamentum veritatis, ſi circa prædictas veritates aut falli poſſit, aut fallere? Quemadmodum ſcilicet, etiam in adverſariorum ſententiâ, ſpiritus privatus; ſi per illum poſſent Calviniſtæ, ſcripturas quidem veras à falſis, non autem ſcripturæ ſenſum legitimum, ſeu verum à falſo, dignoſcere.

Et ſanè, cùm ſcriptura divina, ſi per ſe nudè ſpectetur, inſtar ſit gladij ancipitis, quo quis & benè, & malè uti poſſit: quod manifeſtum ſit, ex eo, quòd nulla hæreſis tam abſurda ſit, quæ pro ſe ſcripturam non alleget, aut (vt Tertullianus) non

non cantet aliquid de ſcriptura: dicente etiam ex Acatholicis nonnemine, *ſcripturæ litteram, eſſe gladium Antichriſti*: conſequens eſt per Chriſtum, non ſatis fore proviſum ſuæ Eccleſiæ, ſi ei duntaxat commiſiſſet ſcripturarum ſacrarum cuſtodiam & non ei ſimul tradidiſſet ſpiritum veritatis, quo (veluti clavi) earum ſenſum aperiret.

Quemadmodum non ſatis providiſſet familiæ ſuæ ſiquis peregrè proficiſcens vxori theſaurum ſuum relinqueret, non traditâ clavi, quâ ex eo, quæ opus eſſent, educere poſſet.

Atque huc bellè facit Irenæi locus libro 3.c.4. vbi ſic loquitur: *Veritatem facile eſt ab Eccleſia ſumere; cùm Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſimè ea contulerunt omnia, quæ ſunt veritatis.*

Et illa Auguſtini concione 3. in Pſalmum 30. *contradicunt linguis multis diverſæ hæreſes, diverſa ſchiſmata perſonant, linguæ multæ contradicunt veritati doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei, Eccleſiam Catholicam tene, à regula veritatis noli diſcedere, & protegêris à contradictione linguarum.*

Nec verò neceſſe eſt, plures autoritates eum in finem congerere; cùm ipſum Calvinum habeamus (quidquid alibi, inconſtanter, more ſuo, in contrarium tradiderit) ei veritati apertè faventem, l.4. inſtit. c. 1. §. 5. ubi: *Videmus*, inquit, *ut Deus, qui poſſit momento ſuos perficere* (eos nimirum per ſpiritum privatum erudiendo de omnibus) *nolit eos adoleſcere in virilem ætatem, niſi advocatione Eccleſiæ.* Subjicit autem: *Ac ſi-*

cui olim non fuit contentus solâ lege, sed Sacerdotes addidit interpretes, ex quorum labiis populus inquireret verum illius sensum : *ita hodie*, &c.

Quibus quidem verbis manifestè respicit, ad id quod scriptum est, Malachiæ c.2. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus* : *quia Angelus Domini exercituum est*. Vbi, cùm circa legem dubitatio inciderit, non jubentur singuli, interiorem spiritus persuasionem, velut oraculum familiare consulere, sed ad Ecclesiæ Sacerdotes recurrere : *ita & hodie*, inquit Calvinus.

Quo item modo, pro lege novâ edicit Paulus ad Ephesios 4. cap. constitutos à Christo in Ecclesiâ suâ Pastores & Doctores, *in ædificationem corporis Christi* ; *&, ut occurramus omnes in unitatem fidei, nec simus parvuli fluctuantes* ; ut alibi monuimus.

1. Tim. 6. Cap. 17. Eodemque facit, quod illas ejusdem Apostoli voces : *ô Timothee, depositum custodi* ; ita exponit Vincentius Lirinensis : *Quid est depositum? Id est, quod tibi traditum, non à te inventum est* : *quod accepisti, non quod excogitasti*. Denique, quod huc præsertim facit ; *non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis*.

Addere liceat, quod nobis consentiens, sapienter tradit, è Calvini scholâ eruditus vir, Joannes Sarranus, in libro quem scripsit, de Religionũ concordia. Vbi, cùm quæsiisset : *fasne erit cuilibet de tantis mysteriis dicere sententiam pro arbitrio?* Respondet, ad Malachiæ locum, à Calvino suprà insinuatum, aspiciens: *Iubet disertè Deus, vt Sacerdotis labiũ velut labium suum, interrogemus.*

Et

Et poſt multa : allegatâ in idipſum Petri Apoſtoli autoritate, pro parte noſtrâ, ita concludit: *Petrus negat, ſcripturam eſſe ἰδίας ἐπιλύσεως, id eſt, privatæ explicationis : quem nos locum*, inquit, *ſæpe laudamus, quia ſæpè nobis utilis eſt.* Epiſt. 2. c. 1. v. 20.

Atque ex his iſtud in primis ſumimus, in rem præſentem. Quod, cùm ex ipſa ſcripturâ conſtet; non ſingulos fideles, ſed Eccleſiam Dei vivi, eſſe columnam & firmamentum veritatis; idque ſtare non poſſit, niſi eadem Eccleſia, non ſolùm cuſtos ſit ac depoſitaria ſacrorum librorum, ſed etiam eorum, quæ continent, legitima certa, & omnibus expoſita, interpres. Hoc, inquam, poſito, perſatuum ſit, ubi de controverſiis fidei, & legitimo ſuper iis ſcripturæ ſenſu diſcernendo, agitur; illâ neglectâ publicâ, & univerſali, & ſemper conſtante & fixâ credendorum normâ, ad ſpiritum cuiuſque privatum, cæcum, latebroſum, & neque iis, qui illo pollere feruntur ſatis perſpectum, attendere : atque hoc inducto, omnis hæreſis, & pertinaciæ aſylo, Eccleſiæ Dei (ut infrà oſtendam) nullum certum dogma, nullum diſſenſionum terminum, aut finem relinquere.

Non igitur ſingulis privatim, ſed Eccleſiæ, putà in ſuo Capite, Romano Pontifice, aut per Rectores ſuos, in œcumenico & legitimo Concilio, & perpetuo illius ſenſu, & uſu, quoad fieri poteſt, repræſentatæ (ſtultum quippe eſſet, & humanitùs impoſſibile, ſingulorum fidelium ſenſum, de articulo controverſo, exquiri) legitima eſt fidei, & veritatis ſibi commiſſæ, interpres; eidemque propriè, non ſingulis privatim,

appromiſſus

appromiſſus eſt à Chriſto Spiritus ſanctus, qui doceat eam omnem veritatem.

Qua in re perabſurdum ſeſe oſtendit Calvinus; dum illum ſpiritum veritatis, non minùs ſingulis (immò etiam magis) quàm ipſi Eccleſiæ, appromiſſum eſſe, commentus eſt.

Sic etenim illum animadvertas, Inſtitutionis ſuæ lib.4. cap.8. §.11. cùm illas Salvatoris promiſſiones commemoraſſet: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Item: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*, &c. expreſsè docere, eas, non minùs fidelibus ſingulis, deinceps futuris, quàm univerſæ Eccleſiæ datas eſſe.

At ibidem tamen §.10. quò Conciliorum Eccleſiæ autoritatem elevet, atque declinet; eam ipſam ſpiritus veritatis directiònem, quam ſingulis concedit fidelibus, Eccleſiæ Chriſti in Concilio univerſali congregatæ denegans; irridet Doctores Catholicos, *qui pro confeſſo ſumentes, univerſale Concilium eſſe veram Eccleſiæ imaginem, hoc principio ſumpto, ſimul abſque dubio ſtatuunt, regi immediatè à Spiritu ſancto ejuſmodi Concilia, adeóque errare non poſſe.* Quod, cùm levi brachio, & quaſi contemptim rejeciſſet: *Eant nunc*, inquit, *Romanenſes, & affixum alligatumque ſuis Conciliis Spiritum ſanctum pro more jactent.*

Ad extremum autem, negotium omne, velut decretorio ſtylo concludens: *Hoc perpetuum eſſe nego*, inquit, *ut vera ſit ac certa ſcri-*

ptura

ptura interpretatio, quæ Concilij: (ſcilicet etiam generalis, & legitimè congregati, atque approbati, de quo ibidem erat ſermo) *ſuffragiis fuerit recepta.* Iſta Calvinus.

Sed, præterquam, quòd ea non facilè concilies, cum his, quæ ex eo ſuprà retulimus, aut quæ etiam tradit in Epiſtolam ad Epheſios cap.4. ubi, *Fanaticos* vocat *eos, qui arcanas ſpiritus revelationes ſibi fingunt; & ſuperbos, qui privatam lectionem ſufficere ſibi putant, ut nihil indigeant communi Eccleſiæ miniſterio*; quibus alia poſtea addemus. His, inquam, prætermiſſis: id tantùm quæſo te, Lector; quàm abſonum cenſeas atque abhorrens, quod ex ejus dictis deducebamus: certiorem eſſe cujuſque fidelis, illo utique privato ſpiritu, & tanquam entheo motu, inſtincti, in fidei rebus dijudicandis autoritatem, quàm veri & legitimi Concilii, ex fidelium conventu coacti, eorumque communi ſenſu ac definitione concluſi.

Primùm enim intelligi nequit; quod ſi ſingulis congregatorum aſſiſtit ſpiritus Dei, ita ut illis manifeſtum ſit, quid, juxta verbum Dei, de hoc vel illo articulo tenendum ſit; iiſdem jam congregatis in Chriſti nomine, non æquè, aut potiùs, adſit is ipſe Dei ſpiritus, ita ut eorum conſenſu & conſpiratione, clariùs certiuſque appareat, quid de articulis controverſis definiendum, tenendum, & toti populo, velut fidei dogma proponendum ſit.

Nemo enim, niſi delirus, ſomniet, eo ipſo quod

quod congregentur in Christi nomine, destitui illos privatim divino spiritu: cùm è diverso ipse Salvator testetur, sese specialiter assistere pluribus in nomine suo congregatis. Sicut scriptum est Matth. 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine, meo, ibi sum in medio eorum.* Ex quibus infert Magnus Gregorius: *Si adesse dignatur, ubi duo vel tres fuerint: quantò magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes?* Et ante illum Doctor Ambrosius: *Quantò magis ubi plena est in nomine Domini congregatio?*

Lib.7. epist. cap. 110.

Lib.3. ep. 25.

Et simile quiddam nobis suggerit ipse Calvinus; dum libro 3. cap. 11. §.2. & alibi, docet: non esse contemnendum Ecclesiæ judicium &c. *quia*, ut subdit, *testatur Dominus, tale fidelium judicium, non esse aliud, quàm sententiæ suæ promulgationem. Eos autem errare non posse, nec à Dei judicio dissentire; qui nonnisi ex lege Dei judicant, quæ non incerta est aut terrena opinio, sed sancta Dei voluntas; & cœleste oraculum.* Sic ille.

Denique Calvinianus iste ad spiritum cujusque privatum recursus, repugnat sensui & praxi universalis Ecclesiæ, ab ejus prima fundatione, ad hæc usque tempora, deductæ. Semper enim usus obtinuit, ut cùm de aliquo fidei articulo, aut scripturarum ad ullum spectantium intelligentia, gravior controversia esset oborta, non quisque privato suo sensui permitteretur (quod fuisset, rem omnem in sua perplexitate relinquere, vel divisiones & schismata in fidei negotio perpetuò alere) sed ut super

eâ

eâ re exquireretur ſenſus Eccleſiæ Catholicæ; & vel conſuleretur Romanus Pontifex, velut ejus Caput, & ipſius Chriſti in terris Vicarius, vel, (ubi opponentium ſe multitudo & pertinacia efficacius remedium exigeret) cogerentur Concilia generalia: quorum legitimè congregatorum, à Sede Apoſtolicâ confirmatæ definitioni, parêre cogerentur fideles omnes; & qui non parerent, haberentur hæretici, & anathemate ab ipſa Eccleſiâ diviſi.

Sic enim cùm in Eccleſia, orta eſſet Ariana hæreſis, &, verbi gratiâ, de illorum verborum (*Ego & Pater unum ſumus*) legitimo ſenſu, quæſtio non levis mota fuiſſet; autoritate legitimâ, coactum eſt Concilium Nicænum primum, in quo damnatus eſt Arius, & ejus ſequaces ab Eccleſiâ ejecti. Similiter contra Neſtorium, coactum eſt Epheſinum Concilium; & in eo ſcripturæ de verbi divini Incarnatione, explicatæ. Tandem, aliis omiſſis, etiam contra Berengarium, qui realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia negabat, variis Synodis coactis, ipſe ſæpiùs damnatus eſt, & verborum Chriſti ſenſus legitimus comprobatus, & traditio Catholica defenſa.

Quid, quod & ipſi Apoſtoli, tametſi Dei ſpiritu præditi, attamen exortam Antiochiæ de legalium obſervatione controverſiam compoſituri, convenerint Ieroſolymam, cum ſenioribus, & nonniſi multa conquiſitione factâ, rem definierint, his verbis uſi: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Quò ſcilicet, poſteris exemplo præirent, & legitimi Concilii formam,

formam , necessitatem , utilitatem demonstrarent.

Sed neque ipsi Reformati nostri,à Synodis subinde congregandis abstinent.Quâ formâ autem, quo fructu,quâ Doctrinæ suæ consequentiâ , id præstent,in loco videbimus.

Interim Calvino in re præsenti placuit adversus Ecclesiam Catholicam, vtroque pede, vt ita loquar , calcitrare : quando & Concilijs legitimis , quam illa concedit , autoritatem proteruè abnegat ; & fidelibus singulis, quam illa nunquam agnoverit , rerum fidei ex spiritu privato distributionem,temerè & inconsultè attribuit.

Non attendens, aut sanè dissimulans, quod vti mox videbimus,alibi scripsit;ex eo capite necessariò subnasci errores , dissensiones , scandala; vnoquoque nimirum , eo prætextu ; fidem propriam sibi modulante , neque appârente apud ipsos Reformatos , ullo alio iudice , qui litem determinet , & finem controversijs imponat.Quod modò expressiùs demonstrādum est.



CAPUT VIII.

Prorsus absurdum esse ; &, vel ipso Calvino iudice erroribus & scandalis obnoxium : privatam quemlibet divini verbi intelligentiam , & dogmatum fidei discretionem , sibi arrogare.

COmmunissima est, præsertim inter Calvinistas,Novatorum persuasio : fas esse eorum cuilibet,

cuilibet, quantumvis rudi & inexperto, ex ipſo verbo Dei, de Doctrina fidei ferre ſententiam: teſtaturque Gaulterius noſter, tritum eſſe in Gallia Calviniſtarum dogma, quod etiam Ioannes Fagius, Albenacenſis Miniſter, non ſemel pro concione protulerit: *Nullum eſſe opificem, qui, modò legere norit, Evangelium non intelligat.* Et quamvis Calvinus, in eius dogmatis exercitio non levem difficultatem inveniat; tamen eo ipſo, quòd, uti vidimus, ſpiritum veritatis dicat, non minùs (immò magis) ſingulis fidelibus, quàm toti Eccleſiæ eſſe promiſſum; compellitur conſequenter loquendo, eam facultatem cuilibet fideli concedere.

Quemadmodum eam diſertiſſimè concedit Lubbertus, rigidus Calviniſta, libro 6. de principijs Chriſtianorum dogmatum cap. 13. ita proloquens. *Omnes publicos iudices, ut interpretando errare poſſe oſtendimus; ita in iudicando errare poſſe aſſerimus. Privati iudices, ſunt ſinguli fideles. Hi etiam poteſtatem habent, iudicandi de Doctrinis & interpretationibus.* Et rurſum: *Deus dedit cuilibet fideli non tantùm ſpiritum intelligendi, ſed etiam ſpiritum diſcernendi falſam doctrinam à vera.*

Addit huic Brerleius Billſonum neſcio quem; libro cui titulus: *Diſcrimen obedientiæ Chriſtianæ* &c. Simili modo philoſophantem, *Populus diſcernere debet, quis recta docet, priuſquam credat.* Et iterum: *Populus æſtimator & iudex eſt, & hanc iudicandi poteſtatem ad vnumquemque privatum hominem pertinere, aſſerit Brentius.* Cujus voces etiam magis inſulſas atque abſurdas

das, non ita post exactè referemus.

Et favet denique ibidem relatus Antonius Voltonus, in responsione ad articulos Papisticos dicens: *Protestans indoctus testimonio divini Spiritus innititur, quo de veritate scripturarum in genere sit certior.* Sic illi.

At audieruntne fortassis vnquam, illam magni Doctoris Augustini, libro de vtilitate credendi cap.7. sapientissimam obiurgationem? *Nullâ imbutus poëticâ disciplinâ, Terentianum Maurum, sine Magistro attingere non auderes. Tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, Sancti tamen divinarumque rerum pleni, sine duce irrumpis; & de his sive praeceptore audes ferre sententiam.*

Neque terret illos, Bethlehemitici Leonis, toto orbe auditus ille rugitus; cùm nempè similis licentia, in Ecclesiam Dei cœpisset invehi, epistolâ quadam, similiter inculcantis; quod ne viles quidem artifices, absque doctore possint esse quod cupiunt: *sola*, inquit, *scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc senex delirus, hanc sophistâ verbosus, praesumunt, lacerant, docent, antequàm discant.* Et vt hodiernos mores magis expressos agnoscas: *Alij proh pudor*, inquit, *discunt à feminis, quod viros doceant* &c.

Hiero. Epist. ad Paulinum.

Quod si hos contemnent, & audient sanè Magistrum & Prophetam suum, ipsum Calvinum, qui locis pluribus, ita seriò in ipsos insurgit: *Refellitur eorum improbitas, quae fidem plenis buccis iactantes, Ecclesiae ministerium, impiè non minùs, quàm superbè contemnunt. Hi ludibrio*

l.4. Inst. c.1. n.5. & c.15 Act. & Isa. 59.

dibrio

dibrio Deum planè habent, qui præteritis Ministris per quos loquitur Deus, Deum se Magistrum recipere simulant.

Qui tamen si Doctori suo, modestè tranquilléque respondeant; se, per Dei gratiam, quòd fideles sint persuasum habere; neque Magistrum habere Deum (ut quidem, arbitrentur) simulare se; seu ex ipsiusmet Doctoris sui asserto dogmate, qud omnibus suis fidelibus, adesse spiritum veritatis pronuntiaverit; sese interiori Dei Spiritu agitari, quo sufficienter, de omni fidei Christianæ articulo, informentur: juxta quod scriptum est, & ab ipso sæpiùs inculcatum: *Pone nam universos filios tuos, doctos à Domino. Et non docebit ultrà vir proximum suum, dicens: Cognosce Dominum omnes enim cognoscent me, à minimo usque ad maximum, ait Dominus.* Isa. 54. Ier. 3.

Quibus verbis apparet, eos, qui à Deo docti dicuntur, ulteriori magisterio non indigere.

Quid autem ad ista responsurus sit, servatâ prioris doctrinæ suæ consequentiâ, Calvinus, ægrè profectò dispicio.

Quid quod rursum alibi, etiam acerbiùs eo nomine invehitur in suos; & eam, quam dixi persuasionem, veluti multorum schismatum, errorum, scandalorum labem, & originem traducit. Ita enim illum loquentem audias, Præfatione in suam Psychopannychian: *Nos, nescio quâ desidiâ, vel potiùs contemptu, verbum Dei recipimus; ut cùm tres syllabas didicerimus, statim opinione sapientiæ turgeamus, & tantùm non crepemus, nobis divites ac reges. Hinc tam multos videas, qui in omnium sæculorum ignorantiam tragicè vociferantur,*

ferantur, non minùs ipsi indocti. Sed quid facias? Christiani videri volunt, & dicuntur; quia aliqua capita locorum communium delibarunt; & cùm nescire aliquid pudeat, de omnibus quasi ex tripode, respondent. Hinc rursus tot schismata, tot errores, tot fidei nostræ scandala. Qua occasione nomen Dei blasphematur inter impios. Et ista Calvinus: Quæ tametsi præsertim eò referre videatur, quò excessum eo in genere cohibeat; attamen obliqrè ipsam mali quoque occasionem tangere videtur atque notare. Quam ipse alibi minùs dissimulanter aperuit.

Ut cùm (ut suprà monebamus) in caput 4. Epistolæ ad Ephesios scribens; *fanaticos appellat, qui arcanas revelationes sibi fingunt; & superbos qui privatam scripturæ lectionem sufficere sibi putant, ut nihil indigeant communi Ecclesiæ magisterio.* Expressiùs autem, cùm damna perpendens in Ecclesiâ exorta, ex permissa plebi lectione vulgari scripturarum & (quod annexum est) promissâ illi earundem intelligentiâ; in Præfatione novi Testamenti, Gallici, anni 1567. ingenuè agnoscit: *Satanam multò plus esse lucratum, vulgatâ hoc tempore scripturarum lectione, quàm priùs, cùm fas plebi non esset, eas lectitare.*

Atque, ut in ore duorum testium stet verbum istud; paria videas, etiam de suis queri Lutherum, Tomo 1. Germanico VVittemb. ubi: *Evangelici nostri* (inquit) *nobiles, cives, atque adeò ipsi rustici, qui aliàs simplices & sinceri solebant esse, trhasonicè jactitare audent, sibi jam nulla prædicatore opus esse.* Et præfatione in Catechismum

techismum majorem; *Delicatuli isti* (ait) *vel unicâ tantùm lectione assequuntur, vt repentè omnes ubique Doctores post se relinquant, sciantque omnia, nec ullius doctrinâ aut institutione opus ampliùs habeant.* Hæc ille.

Verumtamen neque istis deerit, quod Doctoris sui, seu increpationi, seu admirationi reponant. Allegabunt enim & isti pro se, sese præditos spiritu Dei, & juxta scripturam, esse omnes doctos à Domino; neque aliorum indigere doctrinâ; ipso etiam Luthero docente, fideles omnes posse privatim de quacumque fidei veritate judicare.

Quod quidem desumi apertè potest, ex hoc quod Lutherus, in Assertionibus, art. 115. & sequentibus, Conciliorum etiam œcumenicorum autoritatem, cum Calvino, ita deprimat, ut dicat: *quidquid illa definierint, id omne cujusvis privati hominis judicio subjectum esse; atque adeò quid credendum sit, quid non credendum, relinquendum judicio cujusvis viri spiritualis*; cujusvis utique (ut ante dixit) privati fidelis; supponens omninò, quemque fidelem spiritualem, sive Dei spiritu, ad id judicandum, præditum esse.

Quâ in re consonat Magistro suo Ioannes Brentius; cujus ista fertur mirabilis sanè oratio, in Prolegomenis contra Petrum à Soto, & in confessione VVittembergensi. *Rectores Ecclesiarum & Pastores ovium Christi, potestatem quidem habent docendi, sed oves debent ferre judicium, utrùm illi vocem Christi, vel aliorum proponant.* Et posteà: *Quapropter decernant, constituant, ordinent Papa, Episcopi, Concilia &c. quidquid ve-*

lint, non impediemus; sed penes nos, qui oves Christi sumus, & vocem ejus audimus, erit judicium; vtrùm vera, & consentanea voci Pastoris nostri proponant, vel non; ac ipsi nobis credere, nostræ censuræ, ac sententiæ subsistere, & obtemperare debent. Ita Brentius autor & parens ubiquistarum.

Sed quantum hic chaos, & confusio rerum; quanta ordinis à Christo in Ecclesia constituti; & quàm horrenda perturbatio;

Nam illud imprimis, quàm inscitè prolatũ: posse oves Christi, ex hoc quòd vocem eius audiant Pastoris sibi à Christo traditi vocem contemnere; quasi ipsa Pastorùm vox non sit vox Christi ipso de illis expresè pronuntiante, Lucæ 10. *Qui vos audit; & qui vos spernit, me spernit.* Immò è contrà, per hoc ipsum dignoscuntur esse legitimæ oves Christi, quod Pastorum ab ipso constitutorum, ipsiusque Ecclesiæ, voci obtemperent. Sancto itidem Augustino Ep. 120. c. 6. confirmante, quod, *una vox est Christi & Ecclesiæ.*

Quanta rursum istîc, & quam inconsiderata apparet dictorum inconsequentia! Cùm videlicet Brentius asserat, potestatem illam de dogmatis fidei iudicandi ad vnumquemque privatum fidelem utique & spiritualem, pertinere: eum interim spiritum, iis, quibus à Christo commissa est docendi potestas, non concedere; perinde atque si; & ipsi non sint oves Christi, neque vocem eius audiant. Aut, si consequenter eundem spiritum ijsdem concedendum putet: quàm ex ipsis terminis absurdum & paradoxum erit, cùm, in eo quod dixi pares sint, oportere

Pastores

Paſtores, ſubditorum ſenſui ſpiritum ſuum accommodare, & ipſos Doctores auditorum ſuorum ſententiæ ſubſcribere. Qua in parte ſeſe ſapientiorem oſtendit Calvinus,dum ait, ludibrio ab ijs haberi Deum,qui præteritis Miniſtris, *per quos*, vt ait,*loquitur Deus*,arcanum Dei magiſterium prætendentes,ſuo ſenſui ptivato ac perſuaſioni confidunt.

Ex quo tamen, quæ eſt præſentis capitis intẽtio,ad exrremum poſſumus,adverſus ipſum Calvinum eiuſque ſectarios,concludere: conſequenter dicendum videri, non omnibus eius fidelibus ſpiritum veritatis competere; non enim ijs imperitioribus, quos inde redarguit, quod Deum Magiſtrum ſe recipere ſimulent;quòd dicere non poſſet, ſi illos crederet eſſe ſpiritu veritatis præditos, ac proinde reipſa Deum Magiſtrum in ſemetipſis habere.

Sed neque in ſectarijs eius, per hanc occaſionem orirentur diſſenſiones & ſcandala,ſi omnes reipſa agitarentur eodem ſpiritu:cùm vnus idemque Dei ſpiritus, non poſſit dogmata pugnantia,ſed puram duntaxat,ſimplicemque veritatem, ſuggerere.

Quod ſi,non omnium fidelium Calvini,reipſa ſit ſpiritus privatus: iam eâ ex parte, in eius Eccleſia,perplexitas oritur & confuſio. Cùm diſcerni non poſſit, quinam præ alijs eo ſpiritu præditi ſint; atque adeò penes quos vera ſcripturarum interpretatio, & dogmatum fidei ſinceritas,inveniatur. Non enim quantùm exiſtimo,ad alium ſpiritum recurrent, quo deprehen-

datur,penes quos ſit ille prior ſpiritus,de quo hactenus locuti ſumus.

Accedit ad horum confirmationem ; præfatam Calviniſticam aſſertionem omnino convincendam videri , ipsâ, ſi tentetur , experientiâ.

Nam ſi,exempli causâ , conſtituamus in præſentiâ noſtrâ quempiam ſimplicem novitiumque Calviniſtam,& nulladum de ſpiritu privato vnicuique fideli indito , informatione præoccupatùm,eique à nobis offeratur locus ſcripturæ perdifficilis, atque ex eo quærat noſtrûm quiſpiam, quod olim ex Eunucho Philippus,Act.8. *Putaſne intelligis,quæ legis?* Quis , inquam, hoc caſu, eum exiſtimet; extemporali ſpiritus privati ſuggeſtione,difficilis loci ſenſum genuinum expoſiturum ; & non potiùs,ſi cordatus ſit , dicturum cum Eunucho : *Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi.* Aut , ſi eum locum forte præſumat,aut tentet , exponere ; in ſenſum aliquem prorſus abhorrentem,aut ſectæ ſuæ etiam contrarium,declinaturum eſſe?

Atque , vt exemplo prorſus obvio rem hanc declarem : ſi eodem ex homine,nullâ, vti dicebã, in contrarium anticipatione prævento exquiratur ſenſus verborum Chriſti Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* ; quis dubitet, quin continuò reſponſurus ſit : ſenſum eſſe obvium & ſimplicem ; nempe ad ſalutem neceſſariam eſſe mandatorum Dei obſervationem? non autem dicturum ex proprio ſectæ ſpiritu hæc verba à Chriſto prolata eſſe ironicè;ad quam vtique violentam & fatuam expoſitionem , neme ſapiens credet

credet devenisse Calvinum ex interiori divini spiritus instinctu, sed solâ compulsum difficilem nodum aliter solvendi, desperatione.

Sed & quādo ipsi Reformatores nostri, nō tantùm legitimum scripturæ sensum, sed ab ipsa radice, qui libri sint Canonici, ex articulo 4. Confessionis suæ, per interius spiritus sancti testimonium, se discernere profitentur: placet ex inde petitâ instantiâ; argumentum nostrum etiam vlteriùs promovere. Quæro enim ex illis; an quicunque olim ab initio Calvini sectæ aggregabantur, vel eam hodieque sectantur, potuerint olim possintque modò, nullâ eam in partem à Ministris acceptâ disciplinâ, ex ipsâ duntaxat eorū librorū lectione, vi privati spiritus, & intimo quodā quasi sapore, discernere, qui secundùm Calvinum, pro canonicis habēdi sint, qui non habendi?

Si affirment: pro parte adversâ, provocabo ad experientiam. Et alicui de Calvini grege canonis suæ Confessionis ignaro, exhibitis, exempli gatià, Tobiæ & Iobi libris, quorum illum rejicit, & hunc admittit Calvini confessio; instabo, vt suo spiritu discernat, an & quem illorum, pro canonico, aut non canonico habendum putet: certo certiùs misero hærebit aqua; nec inveniet unde librum, Iob à Tobia discernat. Cur enim potiùs, quàm Lutheranus aliquis: qui & ipse in eâ facti specie hærebit incertus; vel si quid ex sectæ suæ spiritu pronuntiet, dissimilem saporem inventurus est in libro Iob: quippe quem non recipit Canon Lutheranus.

Tum verò si negent, privilegium hoc, libros sacros à non sacris discernendi, singulis suis fi-

delibus,aut nunc aut olim indifferenter esse concessum. In primis in eo requiram doctrinæ consequentiam : quòd nempè, cùm singulis concedant spiritum libros divinos à non divinis discernendi ; cùm hoc ante illud, prænoscendum ac supponendum sit, instabo deinde : in quorum persona loquatur prædictus articulus 4. dum ita ait : *Agnoscimus hos libros esse canonicos, & per testimonium & persuasionem interiorem Spiritus sancti.* Nisi enim totius & universi Calviniani cœtus, uno quasi spiritu in eam veritatem conspirantis, is articulus conflatus sit, juxta ipsum Calvinum non erit certa & indubitata definitio. Multò autem minùs ; si,velut de totâ ipsâ confessione præsumi potest ex unius Calvini aut Bezæ privato spiritu (quem instabilem fuisse, mendacem, blasphemum satis constet) principiò concepta, à cæteris deinde eorum autoritate ductis, non autem ex propriâ cujusque spiritus persuasione, probata & confirmata sit.

Sed quidquid de istis speciatim quis senserit, aut dixerit : negari non potest quod prædiximus, incertum manere in secta Calvini ; an penes omnes ac singulos, aut penes aliquos duntaxat, & quos, resideat ille, de quo loquimur, spiritus ; & hinc incertum esse, penes quos resideat ipsa dogmatum fidei veritas. Quia cùm hic spiritus, apud illos sit regula fidei, aut saltem propria atque proxima regulæ fidei, sive verbi Dei, ad res credendas applicatio ; quâ parte vacillat aut incertus est ille spiritus ; eâdem necesse est, ipsam quoque dogmatum veritatem ac fidem, vacillare atque incertam esse.

CAPUT



CAPUT IX.

Nullum Calvinistam certum esse de suo spiritu, ac proinde neque de legitimo scripturarum intellectu securum esse.

VErumtamen quidquid de Calvini mente, ejusve doctrinæ in re præsenti, cohærentiâ, pronuntiandum quis existimet; volo nunc cum ejus sectariis quasi pede collato, strictiùs agere; & ex ipsis Calvini principiis apertè, nisi valdè fallor, evincere; non omnes illius fideles privato spiritu esse donatos; & si qui eo donati sint, tùm ipsis, tum aliis, occultum id & incompertum esse: proindeque eundem spiritum, ad fidei veritates internoscendas, aut determinandas, nulâ ex parte conducere.

Igitur priusquam; eâ super re, vos, fratres, conveniam; velim vos habere præ oculis duo quædam Magistri vestri dogmata, & tanquam articulos fidei vestræ. Quorum primum est: *Veram fidem infundi solis electis & prædestinatis.*

Sic enim expresse docet Propheta vester, lib.3. Inst.c.11.§.11. *In fidem* (inquiens) *non illuminantur, nec Evangelii efficaciam verè sentiunt, nisi qui præordinati sunt ad salutem.* Et adjungens paulò pòst: *Reprobos non recipere certum fidei lumen.*

Alterum: *Veram fidem semel susceptam nunquam*

quam amitti. Ita enim ille, Harmoniâ in Matthæi cap.13. v.20. *Cordibus fidelium ſemel infixa Dei veritas, nunquam effluit, ſed uſque in finem viget.* Et mox: *Porrò, ut nunquam extinguitur ſpiritus ille; ita & fidem, quam ſemel inſculpſit piorum cordibus, evaneſcere & perire, impoſſibile eſt.* Ex quibus & illud etiam habetur: Spiritum illum ac veram fidem ab invicem ſeparari non poſſe. His poſitis, ex vobis libens intelligam, qui Religionis Reformatæ nomine gloriamini; utrùm, qui poſt annos complures vobiſcum exactos, atque in doctrinâ Calvini pertinaciter tuendâ, abſque ullâ hæſitatione poſitos, ad extremum (Deo illuminante) in ſinum ſeſe Romano-Catholicæ Eccleſiæ receperunt: aut etiam à vobis (velut Petrus Martyr) ad Zuinglium defecerunt: Hi, inquam, illum Dei ſpiritum, quo ſcripturas veras à falſis, articulos fidei legitimos à ſpuriis, interiori quodam ſapore diſcernerent, reipsâ poſſederint: an non?

Si affirmatis: ergo verè fideles fuerunt; cùm ſpiritus ille nonniſi verè fidelium ſit, uti dicitis. Et hinc ulteriùs: ergo jam illi fidem ſemel ſuſceptam, amiſere: quod tamen vos ipſi, cum Magiſtro veſtro, jam dicebatis eſſe impoſſibile.

Si autem negatis: quæram ulteriùs, an ſigno aliquo ſeu critirio diſcerni poſſent; ſi non ab ipſis, qui velut dicitis, illo ſpiritu deſtituti erant (quantumvis interim, perinde atque vos illo ſe præditos firmiter crederent, aut perinde atque hi nunc exiſtimant, qui quomodocumque à vobis denique defecturi ſunt) ſed ſaltem à vobis, qui

qui vos de eo ſpiritu jactatis, certâ notione diſcerni poſſent, illi non verè fideles à verè fidelibus.

Non eò, opinor, devenietis audaciæ, ut affirmetis. Et alioqui etiamnùm poſſetis, quinam è cætu veſtro, à vobis deinceps defecturi ſint, velut prophetico ſpiritu deſignare atque prædicere: quod ipſi repugnat experientiæ.

Dicere autem; ex hoc quòd à vobis alipuando defecerint apertè colligi; illos verâ fide ac ſpiritu Dei caruiſſe: aut ſaltem, quò denique, parum conſtanter confugit Calvinus apud Gaulterium, quò dicta ſua inter ſe, aut cùm Chriſti & Apoſtoli verbis (quibus ipſi teſtantur, nonnullos per inconſtantiam, avaritiam &c. à verâ fide excidere) conciliare videretur; eorum fidem fuiſſe admodum imbecillam. Hoc, inquam; præterquam, quòd gratìs & abſque veriſimilitudine dicitur; cùm negandum non ſit, fieri poſſe, & reipſa fieri; ut qui v. g. de veſtris erroribus, non minùs quàm Paulus de Iudaiſmo perſuaſus ſit, Deo duritiem cordis ejus frangente, reſipiſcat, & veræ, ſive Romanæ adjungatur Eccleſiæ. Adhuc nihil facit ad rem præſentem.

Siquidem quæretur ulteriùs: utrùm illa fides, quæ imbecilla appellatur, fuerit vera & certa fides ex ſua ſpecie, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam. An tantùm quædam adumbratio, ſeu inchoatio fidei, quæ propriè & verè iſtud nominis non mereatur. Quemadmodum invenio, lib.3. Inſt.c.2.§.9. & 10. Calvinum ſeſe quodammodo explicantem, dum ait: *In reprobis ſanè dici ineſſe fidē ſed per catachreſin. Verùm hac fidei, ſeu umbra, ſeu*

seu imago, indigna est fidei appellatione. Si prius quis dicat: rursum efficitur quod negabatis, veram scilicet fidem, semel susceptum, amitti posse.

Si posterius: redit difficultas huic loco propria. Nempe non posse à vobis discerni, quinam inter vos, Dei spiritu interiore donati sint; & hinc ulteriùs: incertum esse, quidquid à vobis, in controversiis occurrentibus, definitur aut traditur, ut dogma fidei: Ipsumque adeò spiritum vestrum privatum, esse, fallacem controversiarum dirimendarum normam, & aliam vobis eum ad finem esse quærendam.

Et verò etiam unicuique vestrûm, suspectum esse debere spiritum suum, aut etiam fidem suam; facilè patebit, attendenti ea quæ loco citato in hæc verba subjungit Calvinus: *Tot vanitatis recessus habet, tot mendacii latebris scatet cor humanum; tam fraudulenta hypochrisi tectum, ut seipsum sæpè fallat.* Et rursum: *Experientia ostendit, reprobos interdum, simili ferè sensu atque electos affici, ut ne suo quidem judicio, quicquam ab electis differant.*

Sed attendi postremo loco velim illas ejusdem voces, in epistolâ suâ 68. *Assiduè*, inquit, *in mentem veniat illud Pauli: quosdam à fide excidisse, quòd alienati fuissent à bona conscientia: ne ipsi quoque tam horrendi naufragij simus exempla aliis.* Ex quo loco clarum est ex Calvini sensu, eos etiam qui se vera fide, ac Dei spiritu præditos certò existiment, à fide tamen posse excidere, & hinc ulteriùs de suæ fidei sinceritate, ac spiritus sui veritate non immeritò dubitare posse.

1. *Tim.* 1.

Quæ

Quæ tamen quàm parùm conveniant, cum aliis ipſius Calvini dictis, & nominatim cùm eo quod libro 3. cap.2.§.16.tam operosè tradit: *In ſummâ* (inquiens) *verè fidelis non eſt, niſi qui ſolida perſuaſione Deum ſibi proprium benevolumque patrem eſſe perſuaſus, de ejus benignitate omnia ſibi pollicetur; niſi qui, divinæ erga ſe benevolentiæ promiſſionibus fretus, indubitatam ſalutis expectationem præſumit.* Id, inquam, & per ſe liquere credo conſideranti; neque otium eſt, hoc loco pluribus oſtendere.



CAPUT X.

Inſiſtitur eidem argumento; & exinde ſpiritus privati ad fines ſuos inutilitas concluditur.

VErùm ut hujus argumenti vis paulò ampliùs appareat, placet id quod hîc intendimus, in hac ſpecie facti, ob lectoris oculos proponere.

Exorta eſt pronuper in Batavis, inter Gomariſtas & Arminianos, de grege Calvini, acerrima ſuper divinâ prædeſtinatione controverſia. Quæ ut ſopiretur, quemadmodum poſtea luculentiùs exponam, indicta eſt, & coacta Dordraci, ex Germania, Gallia, Anglia &c. Calvini ſymmyſtarum Synodus, appellata Nationalis; in qua, communi Patrum decreto ac definitione, Arminius cum ſuis damnatus eſt, & diro confeſſus anathemate. At quamobrem iſtud, ô belli

belli Patres? quando & ille ex vobis erat, & ſedis Romanæ inimiciſſimus, confeſſioni Calvinianæ ſubſcribebat; & interiori Spiritus ſancti perſuaſione, perinde atque vos, ſeſe præditum exiſtimabat?

At illum dicetis (quæ eſt argumenti à nobis propoſiti ratio) miſerè deluſum; & quidquid credere videretur, neque fidem veram, neque legitimum Spiritus ſancti teſtimonium, aut perſuaſionem interiorem de dogmatis controverſis, habuiſſe. Quippini, obſecro?

Quia ejus doctrina, legitimo ſenſui verborum Pauli (ut quidem creditis) manifeſtè repugnans inventa eſt. Audio. Verùm ego credebam, juxta profeſſionem veſtram; quis legitimus ſit, in re controverſa ſcripturæ ſenſus, à vobis diſcerni ex interiore Spiritus ſancti perſuaſione: & jam video vos, vice versâ, ex legitimo ſcripturæ ſenſu, colligere atque diſcernere, quiſnam legitimus ſit interior ſpiritus, aut (quod eòdem redit) quiſnam legitimo ſpiritu interiore præditus ſit.

Quod eſt in reipſa dicere atque probare, habere vos, aut quemlibet veſtrûm, verum ac genuinum ſpiritum interiorem, ex eo quod iſte ſpiritus, vero ac genuino ſcripturæ ſenſui conſentaneus ſit; & rurſum, huic eſſe verum ac genuinum ſcripturæ ſenſum, ex hoc quod interior Dei ſpiritus, vobis ita dictet ac ſuadeat.

In quo uti Logici loquuntur, manifeſta ineſt petitio principii, ſive vitioſa ejuſdem per idem probatio. Perinde atque ſi præcisè probares, Ioannem eſſe revera filium Petri, quia Petrus revera

revera eſt Pater Ioannis ; & rurſum Petrum eſſe Ioannis patrem , ex hoc quòd Ioannes ſit filius ejus.

Quod quidem non eſſet ratiocinari , ſed nugas agere, & inepto circulo, idipſum quod probandum erat,ad ſui probationem aſſumere.

Nec eſt quod quis , arreptâ occaſione, nobis objectet ; ſimilem nos circulum , aut ejuſdem per idem probationem committere : quando videlicet & Eccleſiæ autoritatem probamus ex ſcripturâ divinâ ; putà ex verbis Pauli 1. Tim. c.3. ubi Eccleſia Dei vivi *dicitur columna & firmamentum veritatis* ; & viciſſim hanc eſſe ſcripturam divinam, probamus , ſive colligimus , ex ipſa Eccleſiæ Dei autoritate.

Obſervandum quippe eſt ; nunquam nos in eodem proceſſu , ſive cùm v. g. horum alterum determinatè probandum eſt , alterum viciſſim, ex eo quod probandum eſt , confirmare : quod jam equidem eſſet , in illud vitium, quod in adverſariis reprehendimus , incidere. Sed , ſi quis fortaſſe de Eccleſiæ Catholicæ autoritate rectè ſentiens , libri alicujus canonici , exempli causâ Apocalypſeos,autoritatem ſuſpectam habeat,aut de loci cujuſdam aliquantum perplexi ſenſu, minùs rectè ſentire videatur : ei convincendo, recurram ad autoritatatem Eccleſiæ, oſtendens librum, de quo quæritur, ab eâ pro canonico agnoſci ; aut eum locum, ab eadem , in alium ſenſum, quàm ipſe intendat, intelligi. Et ibi ſiſtam, quia jam quæſtio & controverſia finita eſt.

Quod ſi quis è contra,librorum ſcripturæ canonicorum autoritatem perſpectam habens, agno-

ſcere

ſcere nolit Eccleſiæ Catholicæ, in rebus fidei definiendis, aut certò proponendis, autoritatem: adverſus hunc utar, tum ipsâ ſcripturâ, demonſtrans legitimam Chriſti Eccleſiam, quæ à nobis habenda eſt, vt columna & firmamentum veritatis, non aliam eſſe, niſi eam, quæ ſupra Petrum ab ipſo Chriſto immobiliter fundata eſt; tum cæteris, quas appellamus, veræ Eccleſiæ Notis; dicens cum eminentiſſimo Doctore Auguſtino: *In Eccleſia Catholica multa ſunt, quæ in eius gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum, tenet autoritas, miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa Petri ſede, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum. Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa, inter tam multas hæreſes, iſta ſola Eccleſia obtinuit.*

Contra ep. Manich. c. 4.

Ita neque ad ſpiritum privatum, omnis fallaciæ fontem, & licentiæ quidlibet pro arbitrio credendi velamentum, in meo proceſſu recurro; neque, vitioſo circulo, idem per idem probo; ſed viâ planâ, rectâ ac regiâ, & cùm eâ, quæ ſpectatâ negotij conditione meritò poteſt, prudentiâ & maturitate, procedo.

Ad extremum, vt ad vos revertar, quos principio convenire me memini; ex traditis præſenti ac ſuperiori capite, & tum ratione, ex principijs ſcholæ veſtræ deducta, tum ipſius etiam Calvini (quidquid aliàs dixerit) autoritate, validè firmatis; apertè, ni fallor efficitur: nominem veſtrûm, ô Reformati, abſolutè certum eſſè poſſe, quòd veræ fidei dono præditus ſit; cùm ex una parte, (quod tam multis contigit:) poſſit quiſque

quisque vestrûm à susceptâ sectâ differre, & ex altero vestro principio, vera fides semel suscepta nequeat amitti. Ex quo clarè habetur, unicuique vestrûm consimiliter incertum esse; sitne privatim à Deo donatus spiritu illo veritatis; quem nempè dicitis non concedi, nisi verè fidelibus. Ergo vlteriùs, nemo vestrûm absolutè certus est, quod in se habeat veram fidei normam, sive amussim, quâ (ubi res est controversa) possit legitimum scripturæ sensum à falso discernere: atque hinc denique, nemo est absolutè certus, quod in tali casu habeat veram & certam rerum fidei intelligentiam; & ita vacillat in vobis fides; sive, incertum remanet unicuique vestrûm quid in tali casu sit reipsa sibi credendum. Ergo vester ille spiritus privatus, ad eum finem, propter quem à vobis est excogitatus, ineptus & inutilis est.

Quod si fortè quis instet: neque nobis singulis absolutè certum esse, quod actu fidei divinæ, eóque (ex ipso modo tendendi) prorsus certo & infallibili reipsa credamus ea, quæ nobis credenda proponuntur.

Respondebimus in primis: ex principiis doctrinæ nostræ, non cogi nos in ipso fidei exercitio, ejusmodi actus nostri absolutam certitudinem, velut experimento compertam habere: prout de fide sua, admittunt, & admittere debent adversarij.

Nam cùm nos Spiritum veritatis, quo in credendo dirigimur, non nobis privatim arrogemus, sed ex Salvatoris promisso, agnoscamus per se atque directè Catholicæ concessum Ecclesiæ;

neque enim ſinguli (quod ſæpè inculcandum eſt) ſed ipſa per ſe Eccleſia , eſt columna & firmamentum veritatis, eo ipſo quod Eccleſia Catholica , dogma aliquod nobis proponit , tanquam ad fidem pertinens , nobis certum eſt , id verum eſſe , tanquam à Deo revelatum. Eique proinde propoſitioni ſimpliciter acquieſcentes, propoſito dogmati ſubjicimus intelligentiam noſtram , & fidem noſttam ſeriò ad illud extendimus : quantumvis fortaſſis aliquando dicamus contingere , ut ex parte noſtrâ reipſa deſit aliquid ad actus noſtri puritatem , certitudinem, firmitatem. Quod equidem non impedit , quò minus reflexè , ut ita loquar , agnoſcamus dogma propoſitum ex parte objecti certiſſimum eſſe.

In quem ſenſum intelligi poteſt, quod Tractatu 81. in Ioannem ſcripſit Beatus Auguſtinus : *Quantum quiſque amat Eccleſiam Chriſti , tantum habet Spiritum ſanctum.* Quia nempè quò quis arctiùs adhæret Eccleſiæ corpori , hoc ipſo ampliùs de Spiritu illam animante ac dirigente participatur.

CAPVT



CAPUT XI.

Quantâ arrogantiâ Reformatores nostri, sibi suisque spiritum veritatis adesse jactent; quem SS. Patribus, immò & Apostolis Christi post Pentecosten, similiter adfuisse negent.

IN rebus fidei controversis, recursum ad spiritum privatum; veluti fatuum & ad eos fines inutilem, ita per tot priora sæcula, inauditum fuisse in Ecclesiâ Dei, ipsos annales Ecclesiasticos, aut Patrum scripta pervolventi apertissimum & certissimum est. Vt qui è diverso animadvertit, ubicunque aliqua de scripturæ sensu, aut traditione etiam non scripta, exorta esset dubitatio; semper usitatum, quod rursus lib.1. contra Cresconium c.32.sapienter admonet Magnus Augustinus; *ut quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam consulat, quam sine ulla ambiguitate, sancta scriptura demonstrat.* Ita videlicet, ut vel Apostolicâ Sede consultâ, sensus exquireretur Ecclesiæ; vel, ubi res esset majoris moliminis, coacto legitimo plenarioque Concilio, quid tenendum esset, definiretur.

Quod quidem etiam ex toto decursu harum apparebit Exercitationum; neque oppositum, si vel se ruperint, demonstrabunt adversarii: iis nempe exceptis, qui ea propter ab omnibus hæretici sunt habiti, quod ab Ecclesia secessionem

facientes, uti suprà vidimus, compulsi sunt, ad magis arcanas ac cæcas vias confugere, quò adversus apertam Ecclesiæ Catholicæ fidem, ejusmodi obtentu errores suos velarent atque protegerent.

Verùm hoc omisso, lubet in præsentia aliâ ratione, & quibusdam, rursum quasi fidiculis adhibitis, eandem veritatem ex ipsorum ore extorquere.

Quæro enim ex ipso Calvino, ejúsve asseclis, quicumque ad spiritum illum intestinum arcanumque veluti normam credendorum, aut discerniculum legitimi sensus scripturæ divinæ, confugiunt; eodémne spiritu præditos fuisse arbitrentur, priscæ ac primævæ Ecclesiæ Patres atque Doctores sanctissimos, excelsos heroas, quibus ipsi comparati, quasi locustæ videbuntur;
Num. 14. Iustinum, inquam, Irenæum, Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, Ambrosium, Augústinum, & tot alios; qui, ut Augu-
In Ps. 18. stini rursus voces usurpem, *cælorum instar, à terra suspensi, Deum portantes, præceptis tonantes, sapientiâ coruscantes, addere liceat, miraculorum gloriâ, ac prodigiorum splendore fulgurantes*; Ecclesiam Dei illuminarunt, defenderunt, confirmaverunt: an eos è contrà, arcano illo Dei spiritu, quo se donatos ipsi jactitant, destitutos fuisse existiment?

Quid hîc dicturos censes, Lector optime? Vtrimque enim angustiæ sunt; & utroque cornu instat dilemma.

Dicéntne fortassis, & illos eodem fuisse spiritu præditos, ne sibi præ illis nimiùm arrogare videantur,

videantur, eaque re odium offensionémve sibi conflent inexpiabilem?

At continuò contrà instabimus: quando, uti postea specialiùs demonstrandum est; negare non potest, neque verò negat Calvinus; eos ipsos Patres in variis fidei articulis; putà in altaris sacrificio, sanctorum invocatione, oratione pro mortuis, aliisque similibus, suæ sectæ adversos repugnantesque fuisse; consequenter hoc loco sibi esse dicendum: articulos illos, non esse reipsa verbo Dei contrarios; si in illis discernendis adstruendisque, interiore Dei spiritu ducti fuerint SS. Patres, ut jam ponitur. Et hinc ulteriùs errare nostros Evangelicos, dum illos articulos Evangelio aut verbo Dei consentaneos non esse pronuntiant. Neque verò ipsos legitimò regi Dei spiritu; sed falsò & fallace illudi: cùm idem Dei spiritus contrarius sibi esse non possit. Aut sanè, quo jure à nobis jam postulabunt, ut sibi credamus; eò quòd, ut aiunt, agantur interno Dei spiritu? Si ipsi non credant SS. Patribus, quos jam admiserint, eodem secum Dei spiritu donatos?

Dicéntne igitur, eo spiritu privatos fuisse PP. Sanctissimos, eosdemque Ecclesiæ Dei summos Magistros atque Doctores?

At hoc jam insaniæ & intolerandæ audaciæ est; homines, ut ita loquar, nudius tertius exortos, & [Christi verbo] *in nomine suo* venientes, nullis miraculis, missioné suam ac prædicationé confirmantes, nullâ cœlesti sapientia, aut eximiâ vitæ sanctitate conspicuos, sed superbos, tumidos, carni & sanguini mancipatos, ad hæc du- *Ioan. 5.*

 plices

plices animo, & inconſtantes in omnibus viis ſuis, & eodem ore ſibi contraria & compugnantia tradentes: hos, inquam, arrogare ſibi ſuiſque intimum quendam ac ſpecialem Dei Spiritum, & familiare velut oraculum; quo de omni fidei veritate, ac ſcripturæ ſenſu, etiam adverſùs hactenus, & per tot ſæcula receptam Eccleſiæ Catholicæ ſententiam, certò ac liquidò iudicent, & quaſi ex tripode pronuntient. Quem interim Spiritum negent à Deo accepiſſe, priſca illa & illuſtriſſima Eccleſiæ lumina, ſanctiſſimos, inquam, atque divinos mundi Doctores, Spiritus ſancti præclara organa, & ad infidelium converſionem electa à Deo inſtrumenta.

Quaſi Chriſtus Eccleſiæ Sponſus, ſuam hactenus Sponſam deſpexerit, quæ potiùs ſub ſua primordia illo Spiritu principali confirmari debuerat: tandemque his noviſſimis diebus, homines neſcio quos è cæno ac pulvere ſuſcitarit, eoſque ſpeciali & inſolita virtute ex alto imbutos ad Eccleſiæ ſuæ reformationem ſubmiſerit; eandem ſcilicet priorum doctorum inſcitiâ, fœdis erroribus deformatam, Evangelicæ (quod aiunt) puritati, ac nativo decori reſtituturos.

Atque iſtud palam, nec diſſimulanter de priſcis Patribus pronuntiant Novatores noſtri; quoties eos in aliquo ſibi adverſos eſſe, diffiteri non poſſunt: prout liquere poteſt, ex his, quæ eam in rem, ſæculo 1. veritate 2.§.6. collecta proponit noſter Gaulterius; ex quibus nonnulla hîc apponemus gratiâ exempli.

De S. Hieronymo, inter alia plura convitia ita ſcribit Calvinus in 1. Cor. caput 7. *Hieronymus excæcatus*

excœcatus nescio quo zelo (proindeque carens Spiritu Dei) *non labitur tantùm in falsas opiniones, sed præcipitanter ruit.*

Idem l.1.instit.c.11.§.5. Gregorium Magnum; quem tamen habet pro sancto, & vero Romano Pontifice; quia sacras imagines dixerit esse libros idiotarum disertè negat, in scholâ Spiritus Dei edoctum fuisse.

At ipsi Calvini discipuli, in suæ fidei clypeo; de S. Irenæo agentes, quod alicubi Deiparam Virginem, appellarit Evæ Advocatam; aiunt ea verba potiùs esse Idololatræ cujuspiam; aut si Irenæi sint, *Irenæum minimè habuisse veram confessionis fidei sanctæ Religionis Chistianæ intelligentiam.*

De Sanctis autem Cypriano, Augustino, &c. quòd preces pro mortuis approbaverint, aiunt (pro sua nempè Evangelicâ modestiâ) *talem doctrinam, præcipiti eorum stupiditati esse adscribendam, cùm vacui essent à spiritu Dei.* Hæc & plura laudatus autor.

Verumtamen est indignius quiddam atrociusque quod his adjiciam; & tale, ut nesciam, nùm id è sectariis cordatus quisquã æquo animo sufferre possit. Id autem est huiusmodi. Istos videlicet novi Evangelij Conditores, Spiritum illum peculiarem, quo de legitimo scripturæ sensu, & ipsa dogmatum veritate; certi evadant, ausos esse non sibi modò, sed etiam vulgo suorum sequacium, asserere; quem tamen negarent habuisse Christi Apostolos, etiam post acceptum Spiritum sanctum in die Pentecostes; quippe quos censeant, etiam per ea tempora, in fidei

rebus erraſſe. Quod quidem poſtremum quàm rectè congruat cum illo Calvini pronuntiato; fidem ſemel acceptam amitti non poſſe, videant qui ita ſenſerint.

Proferentur autem loca, ne quis eis falſo quidquam affingi, cavillari poſſit. Lutherus igitur in caput 1. Epiſt. ad Galatas: *Petrus*, inquit, *primus Apoſtolorum extra verbum Dei docuit, & vixit.* Cujus voces aſſertans & exaggerans ipſius aſſecla Ioannes Brentius, in apologiâ confeſſionis cap. de Conciliis: *S. Petrus*, ait, *Apoſtolorum primus & Barnabas, etiam poſt acceptum Spiritum ſanctum, unà cum totâ Eccleſiâ Hieroſolymitanâ, errarunt.*

Calvinus autem in caput 2. Ep. ad Galatas; ita de Petro ſcribit. *Petrus in gratiã Iudæorum diſceſſionem fecerat à gentibus, ita vt ab Eccleſia communione eas arceret, niſi abdicatâ Evangelij libertate, legis iugum ſubirent.* Quæ non tantùm audacter & temerè, ſed quod ad expreſſam Apoſtoli mentem attinet, etiam falsò ſcripta eſſe, convincit ipſius Petri ſententia, prolata disertè in Concilio Ieroſolymitano.

Verùm, quod ad rem facit, Calviniſtæ complures apud Brorleſum Tract. 2. c. 2. ſect. 10. §. 2. expreſſis verbis tradiderunt, Apoſtolos etiam poſt ſpiritus ſancti in illos deſcenſum, erraſſe. Inter quos Vvittakerus, contra Bellarminum &c. cùm ſibi obieciſſet: *ſed fortè dicent adhuc Petrum Eccleſiæ caput non erraſſe. Immo* (reſpondet) *ille etiam erravit, de legis cæremonialis abrogatione. Hæc erat res fidei; & in hoc erravit Petrus.* Omitto alios.

Igitur

Igitur ex mente Reformatorũ,errarunt in fide omnes SS.Patres;etiã post Spiritus sancti descensum errarunt in fide Apostoli; erravit & Petrus Ecclesiæ caput, & super quem firmiter fundata est Christi Ecclesia. At modò errare non potest Calvino addicta muliercula, errare non potest vilis artifex, qui neque fortasse norit litteras: Quia nempè, si istos audimus, SS. Patribus, & ipsis Apostolis, datus non fuit Spiritus ille specialis ac privatus; quem, tametsi nullo fundamento, gloriantur & iactant, concedi sectariis suis. Sed nimirum nostri Reformatores, soli sapiunt;& contempta omnis antiquitatis venerandâ canitie, se non modò Patrum Doctorumque Ecclesiæ Doctores iactitant, ausis etiam quibusdam Lutheranis insanè scribere: *Quod si jam viveret Augustinus, se Martini Lutheri discipulum profiteri non erubesceret.* Verùm ut in hoc quoque veterum Hæresiarcharum Spiritum (qui teste S. Irenæo sese emendatores Apostolorum esse gloriabantur) in se transijsse demonstrent. Etiam Apostolis Christi, post acceptum etiam Spiritum sanctum, sese magis à Deo illuminatos prædicant, eosque erroris, etiam in fidei doctrinâ condemnant.

Apud Brel. Tr. 2. c. 2. sect. 10. §. 9.

lib. 3. cap. 1.

Atque ut ejus rei magis patescat indignitas, attendi velim ac ponderari modò suggerendas Lutheri voces, quibus Satanicâ quadam superbiâ hac in parte sese manifestè præfert universis tum SS. Patribus, tum Apostolis Christi. Ita enim in primis loco suprà citato, suam doctrinam exaggerat, ut dicat: *Esto Ecclesia, Augustinus,*

&

& alij Doctores; item Petrus, Apollo, immò Angelus diversum doceant ; tamen mea doctrina est eiusmodi , quæ solius Dei gloriam illustrat. Subdit autem verba suprà posita : *Petrus Apostolorum summus*, &c. in eo apertè sese ipsi Petro opponens atque anteponens. Similiter autem insanientem eum videas lib. de servo arbitrio , contra Erasmum editione 1. prout iam antè retulimus : *Nihil recipimus nisi scripturas, sed sic ut penes nos solos sit certa autoritas interpretandi. Quod nos interpretamur, hoc sensit spiritus sanctus : quod adferunt alij , quamvis magni, quamvis multi, à spiritu Satanæ, & alienatâ mente, profectum est.*

Quibus iam, vt vides , vniversum SS. Patrum cœtum, quâ parte ipsi adversantur, non tantùm spiritu Dei destitutos, pronuntiat, sed etiam contrario spiritu Satanæ inspiratos. Non intelligens id de se iustiùs præsumi atque proferri posse , ut qui sese , non parum ipsius Satanæ , aut Angelorum eius , magisterio profecisse professus sit. Vti demonstrabitur non ita pòst; si priùs de eius hoc in genere arrogantiâ , nonnulla iam dictis adjecerimus.

CAPUT



CAPUT XII.

Reprimitur insolens, arrogansque Lutheri iactantia: [certum esse doctrinam suam habere se de cælo] affirmatissimè denuntiantis.

EAm quidem insolentem iactantiam, vetustis omnibus hæreticis propriam familiaremque fuisse, ex his quæ de illis ante diximus, manifestum est. sed placet idipsum & de recentibus specialiùs: ostendere: quamque immeritò id sibi sumant, argumentis peculiaribus demonstrare.

Atque ipsum Lutherum iam suprà audivimus, in impudenti ac temulento scriptô, contra Henricum VIII. Regem Angliæ, pro more suo, eiusmodi amplum de seipso ac magnificum testimonium absque ullâ dicti sui probatione perhibentem: ubi ita loquitur inter cætera: *Certus sum quod doctrinam meam de cælo* (sive à Spiritu Sancto) *habeam: & quod non possit sibi esse contraria.* Itemque, in libro, adversus falsò nominatum Ecclesiasticum ordinem Episcoporum, in hæc verba protestantem: *Christum testem futurum in illo die magni iudicij, hanc doctrinam non esse meam, sed Dei, sed Spiritus Domini, purique & sinceri Evangelij.* Et infrà: *Dei enim doctrina est, Dei, inquam, & non mea.* Quibus æmulari velle visus est salvatoris vocem, Ioannis 7. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* At

At enim eo in exemplo, ea obſervanda eſt differentia, quod Dominus noſter, qui inquantum Deus, erat ipſa prima & ſumma veritas, & inquantum homo, plenus gratiæ & veritatis; ſuæ prædicationi tamen aſſertionive credi noluit, niſi ſuam à Patre miſſionem; ſignis manifeſtis, ac prodigioſis comprobaret operibus. Hinc enim eſt illud, quod ait Ioannis 5. capite: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum, non eſt verum.* Id eſt, ibi ſiſtendo; non eſt legitimum; aut fide dignum: addens idcirco Paulò pòſt: *Opera quæ dedit Pater, vt perficiam ea; ipſa opera quæ ego facio; teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Rurſum; Matthæi 11. & Lucæ 7. legatis Ioannis interrogantibus, num ipſe eſſet ille Meſſias, quem expectarent Iudæi; ſatiùs cenſuit mirabilibus operibus in ipſorum præſentiâ exhibitis; quàm ſimplici vocis aſſertione reſponſum dare; duntaxat ſubjiciens: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis; & vidiſtis. Cæci vident; Claudi ambulant, &c.*

At verò è contrà, bonus Lutherus; nullis prolatis argumentis, & tanquam tabulis, miſſionis ſuæ; & multis in contrarium occurrentibus; expectat vt ſimplici aſſertioni ſuæ; cæcâ quadam obedientiâ, ut olim Pythagoræ, diſcipuli ſui, fidem præſtent non inſulſi homines.

Vanè equidem, & inſipienter: præſertim cùm clarè oſtendi poſſit, (contrà quàm affirmat ipſe Lutherus) ipſius doctrinam, multis & manifeſtis ſcatere contradictionibus; de quo mox aliquid addemus.

Quod

Quod autem hîc ingerunt nonnulli Lutheri discipuli; ipsi, pro tabulis missionis suæ, esse ipsas divinas scripturas, quibus nempe ipsius doctrina planè consentiens est; quod quidem his verbis expressit Meisnerus ab Hermano Hugone relatus: *Exhibuit Lutherus patentissimas magni Iehouah litteras Biblico codice comprehensas:* nugas iterum agunt, & in vitioso circulo ludunt. Nam quanquam hi non ita fatui sint, ut per hoc velint, ab ipsa scripturâ missionem Lutheri nominatim cõmendari (quamvis interim non desint ex illo grege, qui eius adventum à S. Paulo prædictum somnient) sed tantùm id intelligant in sensu indicato; quòd nempe Lutheri doctrina, ex hoc quod scripturæ divinæ sit planè consentiens, videatur ab ipsâ scripturâ accipere, de sui autoris Apostolatu, testimonium irrefragabile. Attamẽ hoc ipso, uti ferè solẽt, apertè petunt principiũ, & pro ratione responsi sui, id quod in quæstione est, adferũt. *In defens. Conf. ct. Lessianæ.*

Quod, ut intelligas; quæ subjicimus, quæso, lector, attende.

Controvertitur inter nos & Lutheranos; an Lutheri doctrina, sive (quod idem est) nova eius, & antiquitati cõtraria, sacræ scripturæ expositio, legitima sit, & ipsi Dei verbo consentanea. Negamus nos: affirmat, cum suâ schola Lutherus, idque ex eo probat, quòd doctrina sua, ab ipso Deo profecta sit, & speciali Spiritus Sancti inspiratione accepta. Sed cùm dictum istud, nullâ probatione, aut signo, confirmet, eoq; facilè negetur à nobis; accurrunt subsidio discipuli; dicuntque id ex eo probari, quod Magistri sui doctrina, seu ab eo prolata sacræ scripturæ expositio, ipsi verbo

verbo Dei ſit manifeſtè conſentanea ; atque has habere veluti patentes , immò patentiſſimas litteras miſſionis ſive Apoſtolatus ſui. Per quod patentiſſimè apparet , ad ipſum recurri controverſiæ principium ; quod erat an doctrina , ſeu expoſitio Lutheri eſſet ipſi verbo Dei conſentanea; ad quod jam reditur; atque id quod eſt in quæſtione,& negabatur à nobis,adfertur denique pro ultimo fundamento contrariæ probationis.

Iam verò , quod idem Lutherus , ex eo quod ſeſe doctrinam ſuam de cœlo habere aſſereret, convincendos nos credidit ,eam ſibi , non eſſe, nec poſſe eſſe contrariam ; in hoc nempè ſeſe malum & infelicem dialecticum oſtendit : ut qui contra omnes artis regulas , ex eo quod magis ignotum eſt , & nobis etiam improbabile , infirmare contendit veritatem certiſſimam, & quaſi manu palpabilem ; quæ eſt , ipſius doctrinam innumeris , ut ita loquar , contradictionibus abundare.

Manifeſtum quippe id , oculos habenti , & Lutheri ſcripta inter ſe conferenti. Quo in genere, ut obſervat Leſſius in conſultatione : *Quæ fides & Religio ſit capeſſenda ,* conſideratione 9. ratione 6. de ſola communione Euchariſtiæ , ex ipſius operibus , ipſo vivo notatæ ſunt 36.contradictiones , à Gaſpare Querhamer laico ſaxone ; & in lucem editæ cum maximâ Lutheri confuſione , & autoritatis ipſius imminutione; Extatque inſuper Cœhlæi liber , inſcriptus *Lutherus ſepticeps* , nihil aliud ferè continens quàm ejus contradictiones de omnibus penè controverſis articulis , ipſius verbis expreſſas.

Sed

Sed & eâ de re extat aliud opuſculum, inſcriptum: *Antilogiarum Mart. Lutheri Babylonia*; innumeris in omni materiâ per quinquaginta duorum capitum locos communes refertum Antilogiis: Autore Ioanne Fabri, Epiſcopo Viennenſi. Tandemque ſi quis eò recurrere voluerit, compendij gratiâ, is in Theſauro Iudoci Coccij, libro 8. articulo 7. Antilogias Lutheri 80. inveniet, ſingularum locis, & verbis autoris, ad longum extenſis, deſcriptas.

Ex quo jam proinde liceat nobis argumentum iſtud, in caput autoris retorquere. Nam cum ipſo teſte, doctrina, quæ Deum autorem habeat, nequeat ſibi ipſi eſſe contraria; immò ut agnoſcit ipſe Lutherus in Aſſertionibus Teutonicis, articulo 25. *Qui ſemel mentitur, hic certiſſimè ex Deo non eſt, & ſuſpectus in omnibus habetur*: Quomodo credemus ex Deo eſſe doctrinam, quæ locis innumeris, partim manifeſtæ falſitatis ac mendacij convincitur; partim etiam, ut poſt oſtendam, fraudulentis divini Verbi corruptionibus, Deoque indignis opinionibus, abundare cognoſcitur.

Quibus in præſentiâ diſſimulatis; iſtud duntaxat nunc adiunxero: ipſam ſtyli Lutherani formam, ac ſcribendi methodum, nihil minùs ſapere quàm Spiritum Dei.

Evidens quippe eſt ipſum legenti, univerſum, ferè, quinti, ſeu Lutherani, Evangelij corpus, his quatuor tanquam elementis compoſitum eſſe. Primùm odioſâ & intolerandâ ſuperbiâ, quâ etiam ſeſe ſupra Apoſtolos ipſos extollit. Quò non abs re ſcripſiſſe dicatur,

Conradus

Conradus Regius, autor acatholicus, libro Germanico contra Hessium, *de cœna Domini: Deus ob peccatum superbiæ, quo se Lutherus (ut opera eius testantur) cæteris præferebat; spiritum suum illi subtraxit, & loco eius, spiritum iracundum, fastuosũ, mendacem dedit*. Deindè acerbâ mordacitate, procacibusque in quasvis personas contumelijs, nullâ dignitatis cuiusquam habitâ ratione. Qua in re, rectè philosophantē invenio Desiderium Erasmum; dum contra expostulationem Hulteni de Luthero loquens, ita ait, ex animi sui sententiâ: *Nec adhuc possum animo meo persuadere, Christi spiritum, quo nihil est mitius, inhabitare pectus illud, ex quo tanta scatet amarulentia*. Ipso etiam Luthero hanc de se hominum opinionem his verbis agnoscente: *Video ab omnibus in me desiderari modestiam*. Et rursus: *omnes ferè in me damnant mordacitatem.*

In locis com. n. classe 4.

Ad hæc scurrili & scenica dicacitate. Ac postremò insigni verborum & spurcitia, & libidinosi amoris exaggeratâ atque inculcatâ commendatione.

Quo quidem spiritu, insano, inquam, amore mulierum quàm occupatum animum haberet, vel illud ostendit, quod (ut plures scriptores testantur) in suâ Germanica sacrorum Bibliorum editione, tenere se non potuerit, quin ad caput 31. Prov. v. 10. notam hanc margini (dignum nempè tali Apostolo scholion) opportunè scilicet adscriberet: hunc inquam cujusdam cantilenæ impudicæ versum, qui latinè sic sonat: *Nihil in terris dulcius amore feminæ, si quis eo frui possit.*

CAPVT



CAPUT XIII.

Speciali ratione conficitur: Doctrinam Lutheri, non de cælo, nec à Deo haustam, sed ex orco, & à diabolo profectam esse.

POst omnia igitur, mihi cum Luthero velut cominus agendum est; neque iam per consequentiam, sed per se directè, & ex fat aperta ipsius confessione, demonstrandum; non veluti iactat, doctrinam suam se à Deo habere, sed eam à furvis Magistris, orcique incolis ei suggestam, atque insinuatam esse.

Siquidem in-primis, in libro de Missa angulari, alijsque tractatibus, ingenuè iuxta, inverecundéque fatetur; habuisse sese familiarem quendam & assiduum ex orco convictoren, cum quo videlicet, plus uno salis modio comederit; quem etiã non erubuit alicubi scribere, illum secum in lecto, etiam crebriùs quàm suam Catharinam, condormivisse: eundemque sibi, longâ disputatione præmissâ, autorem fuisse, vt Missam impugnaret, atque in eam rem argumenta sibi suppeditasse. *In colloq. mensalib. German. fol. 281.*

Ex quo satis apparet, quo ille Magistro sub suæ prætensæ reformationis initia, usus fuerit; & quo suggerente, doctrinæ suæ primordia, fortè & progressum, perfectionemque, uti mox ampliùs confirmabitur, acceperit. Etenim præter hunc assiduum paredrum, sive assessorem fami-

liarem (qualem etiam Marco hæresiarchæ adstitisse, cuius suggestione prophetare videretur, testatur S.Irenæus) tradit insuper se habuisse, unũ alterumve, non infimæ sortis, sed primi quasi subsellij Dæmones, atque adeò (ut ait) Theologiæ Doctores inter Diabolos: à quibus utique suam Theologiam acceperit: quippe velut addit, in colloqujis Isleb. de verbo Dei fol.23. (& unde id, nisi propriâ edoctus experientiâ?) *Diabolum esse, qui sacras litteras bene docere solet.*

L.1.c.9.

Loco cit. fol. 175.

Quod expressiùs confirmans, Tomo 7. pag. 228. apud Fitzsimon, ait: *Quando Diabolum colla non habemus affixum, nihil nisi speculativi Theologi sumus.* Hoc ipso innuens, se eiusmodi magistrum collo infixum habere: ne fateri cogatur, se nihil nisi speculativum Theologum esse. Cui consentaneum est, quod idonei autores tradunt: Maximilianum I. Imper. anno 1518. in comitijs Augustæ vindelicorum publicè prandentem, vidisse dæmonem formâ corporeâ Lutheri humeris incubantem (seu Lutheri phrasi, ipsius collo affixum) idque indicasse tunc Baroni cuidam pincernæ suo; simul exinde ominantem, multas posteà calamitates ab eo monacho in imperium importandas.

Neque id adeò mirum apparebit, aut insolitum; cùm, præter alia, quæ eam in rem adferri possent, testetur Cassianus collatione 8. cap. 32. audivisse se Diabolum apertè confitentem, se Ario, & Eunomio suam hæresim inspirasse.

Sed quid vos ad ista, ô inconsulti Evangelici? Annon operit confusio faciem vestram: cùm

hæc

hæc tam abſurda, tanque impia, magiſtrum veſtrum, immò Apoſtolum & Evangeliſtam, de ſe tam putidè profitentem attenditis? & non inceſſit animum veſtrum iuſta formido, ne in vos conveniant verba illa Apoſtoli 1. Tim. 4. *quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*? Sed tamen eſt aliquid ultra, hoc in genere, quod hoc loco vobis per occaſionem repræſentem; horrendum ſanè, & tam ſtultè impium, ut illud vix credat animus, ab aliquo veſtrûm niſi planè inſano, proficiſci potuiſſe. *L. 2. de div*

Verùm, ut huc quaſdam M. Tullij voces proportione transferam: *Nihil tam abſurdè dici poteſt, quod non dicatur ab aliquo, Philoſophorum* dixit ille, nos *hæreticorum.*

Audite, ſultis, Evangeliſtam veſtrum, in colloquijs menſalibus editionis Iſlebienſis, capite de operibus Dei, fol. 35. §. 8. rem, uti aiebam, prodigioſè inſanam, de ſemetipſo, his verbis, referentem. *Non ſemel Domino Deo noſtro aliquot egregios articulos porrexi, & exhibui, eúmque docere volui. Sed optimus ille ac bonæ frugis Deus, bellè mihi tergum ſuum* (hanc vocem honeſtiorem ſuppono pro eâ, quâ iſtîc licenter ſpurcus Propheta uſus eſt) *obvertit conſpicandum: itaque ſapientia illa in vanum recidit.* Hæc ille.

Quæ quidem quocunque te vertas, & quemlibet illis ſenſum aſſignes, à ſupremâ quadam indignitate, & atroci in Deum contumeliâ, nullâ ex parte excuſaveris.

Nam si de Deo vero ac Domino nostro dicta intelligas; ipsâ materiâ, & formâ sermonis, Blasphemia est impudentissima. Sin autem de Deo aliquo, quem sibi propriè adoptarit Lutherus, puta, qui iuxta nonnullos, ab Apostolo appellatur *Deus huius sæculi*; eâ iam ex parte, atrox est
2. Cor. 4. v. 4. in verum Deum contumelia, quòd alius ab eo agnoscatur Deus, & ipsius quidem infensissimus inimicus, id est Diabolus.

Quod tamen ab ipsâ Martini mente non abhorrere; deprehendet, qui eum audierit, Tomo 3. Germanico Ienensi, in epistola de libro adversus rusticos, de se suisque ista promentem: *Nos à Diabolo captivos teneri, veluti à Principe ac Deo nostro, ut cogamur facere, quidquid nobis inspirat.* Quam postremam vocem notari velim; ut tandem intelligant discipuli sui, cuius Dei spiritu inspirata sit Magistri sui doctrina.

Et nõ tinniunt ambæ aures vestræ Domini Neo-Evangelici, ad tam insanas tamq; impias Apostoli vestri voces: quem ipsi ter sanctum appellabâtis; quem à Deo Missum ad orbem illuminandum jactabatis; quem denique ut virum incomparabilem, & cujus ipse Augustinus non dedignaretur esse discipulus, tantùm-non pro idolo vestro adorabatis.

Quem modò è contra, si hæc quæ tradimus, aliquousque admittitis in animum, aut tanquam splendidè insanum despuere, si vel hoc prætextu tanta velari possit impietas, aut velut atheum, atheoque pejorem, abominari debeatis.

Neque denique ad istam lucem aperitis oculos; quos, sive ignorantia veri, sive affectata vitæ licentia,

centia, sive domestica traditio, & usu insolita disciplina, clausos hactenus tenuit; & res salutis vestræ in tuto collocandi desiderio, veteri vos redditis Ecclesiæ, à qua uti vel hinc, nunc iam potestis intelligere, Diabolica fraude seducti secessionem vestri incautè fecere maiores?

Quâ videlicet, aut ei affini, contemplatione, ad hoc ipsum adductos, & hodie complures, & antehac quàm multos, è consortibus vestris; compertum est, viros prudentiâ & doctrina præstantes. Cuius rei fidem indubitatam facit, quod legere liceat apud Brerleium Tract. 3. sect. 4. à Fulcone Protestante relata, neque improbata, Stapletoni Doctoris Catholici verba, congreges vestros sic alloquentis. *Quam plurimi à vobis, etiam magni nominis & excellentis eruditionis viri, ad Catholicam migraverunt, vestras non tam insipientias & ineptias, quàm impietatem & blasphemias pertæsi, atque exosi. Huiusmodi sunt* (*vt paucos*, inquit citatus Doctor, *è multis nominem, eosque solos, qui etiam scriptis monumentis, suam à nefariâ sectâ vestrâ discessionem, orbi testatam reliquerunt*) *Georgius Vicelius, Fredericus Staphilus, Franciscus Balduinus; Stanislaus Oricovius; &* (alijs omissis, quos ibi refert) *nuperrimè duo Ministri Galli, Matthæus Launoy, & Henricus Pennetier; qui etiam vestras insipientias & improbitates, sibi ex aliquot annorum consuetudine notissimas, scriptis gallico idiomate libellis, genti suæ propalarunt.* Quibus plures addit ex suis Anglis ipse Brerleius.

Sed de alijs pluribus Lutheri & Calvini horrendis in Deum Christumque blasphemijs, infrà aliis erit dicendi locus.

Illud ad extremum duntaxat hoc loco lectorem ingenuum admonuerim; quæ suprà diximus de Lutheri doctrina, non à Dei Spiritu, sed ab ipsa Diaboli inspiratione profecta; nō eò tantummodo valere, ut sectam illius primitivam ac rigidam, orbi exosam, abominandamque redderent, aut illas quoq; sectas varias ac multiplices, quæ sub Lutheri, quidem auspicijs, eius tamen sententias pro suâ quæque ratione ac modo temperantes, diversâ censentur appellatione: ita ut hic quoque verum sit, quod de Donati parte seu factione, olim scripsit, B. Augustinus: sectam itidem Lutheri, *in multa minutissima frusta esse conscissam.*

l. 1. de Bapt. contra Donatistas, c. 6.

Verùm insuper eodem titulo eas quoque sectas recentiores, quæ, à Luthero deficientes, à suis proprijs institutoribus diversimodè nuncupatæ, universè uno Religionis Reformatæ nomine veniūt, nobis exosas, suisque item sectatoribus vehementer suspectas, esse debere.

Etenim si fonte infecto, necesse est infici & rivulos inde deductos: pariter necesse est diabolico veneno pollui particulares Religiones, quarū primordia, in primævâ suâ origine, pestilente satanæ spiritu, atq; halitu, seu suggestione, intincta atque infecta sint.

Atqui posteriores sectas, originem suam ac primordia, veluti primævo prætensæ Reformationis autori, seu quinti (uti nos loquimur) Evāgelij, fonti, ipsi Luthero debere: esse debet extra controversiam. Quando ipse Calvinus eâ gratiâ à principio Lutherum pro insigni Christi Apostolo se habere, testificatus est; & epistolâ suâ 409. *Ex Ecclesia VVittembergensi*, in quâ tum Lutherus

therus hæresim suã disseminabat, *fluxisse hac ætate Evangelium*, agnoscit. Disertissimè denique libro *de necessitate reformanda Ecclesiæ*; ubi: *Deus*, inquit, *initio Lutherum & alios excitavit, qui nobis facem ad reperiendam salutis viam prætulerunt.*

Sed & Zuinglianismum originem suam posse quodammodo ad Lutherum quoque reducere; ex eo apparet, quòd Andream Carolstadium, priusquam sacramentarius fieret, eamq; hæresim Zuinglio discipulo suo instillaret, satis constet Lutheri asseclam, eiq; conjunctissimum fuisse. Tandem etiam Anabaptistas prodiisse ex Lutheranis, ostẽdit florimundus Ræmundus l. 2. de ortu hæresis, &c. c.2. ubi Rotmannum quendam memorat, ex Lutherano, Calvinistam, ex Calvinista Anabaptistam: atque Thomam Muntzerum, Anabaptistarum facilè principem, testatur Melanchthon apud Gaulterium, etiam in Lutheri discipulis numeratum esse.

Audiatur demum rem verbo uno absolvẽs ipsemet Lutherus; dum Tomo 3. in c. 5. Epistolæ ad Galatas: *Nostro tempore*, inquit, *primùm defecerunt à nobis sacramentarii* (quo nomine Zuinglianos & Calvinistas intelligit) *post, Anabaptistæ.*

Neque nobis confestim opposueris: si, uti dicitur, à Luthero defecerint: non posse meritò eorum doctrinæ, ut quæ iam Lutheranæ contraria sit, huius malignum ac perversum spiritum, aut pestem illam ex orco haustam, affricari.

Ad hoc enim facilè reponam. Quod, tametsi ex eo dicantur à primo autore quinti Evangelij defecisse, inquantum super fundamẽto, quod ille posuit, varia super ædificarunt, ipsius menti con-

traria;ex vetuſtâ nempe,uſuque perpetuo præſcriptâ,hæreticorum licentia;quam jam olim memorans Tertullianus:*Mentior*,inquit,*ſi non à regulis ſuis variant inter ſe;dum unuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur,quæ accepit , quemadmodum de ſuo arbitrio illa compoſuit ille qui tradidit. Denique penitùs inſpectæ hæreſes omnes,in multis , cum autoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur.* Nihilominùs tamen;quamdiu ipſum doctrinæ Lutheranæ fundamentum retinent,hoc eſt,inquã, illud peſtilens nefariumque dogma:*Iuſtificari hominem per ſolam fidẽ*;quod Proteſtantes varij apud Brerleium,tanquam Eccleſiæ ſuæ animam habent,ſolum primum ſalutis fontem, omnium deniq; articulum primum ac ſummum , & de quo reipſa Novatores noſtri omnes conſentiunt;negari non poteſt,ea ex parte,eorum doctrinam ipſo Lutheri ſpiritu eſſe imbutam , ac proinde non de cœlo, aut à Deo,ſed ex orco,& diabolo eſſe profectam.

Nam quis illum dubitet, primum ac ſummum doctrinæ ſuæ caput,accepiſſe ab illis colendis ſuis præceptoribus,magnis videlicet Theologiæ avernalis Doctoribus:maximè cùm dogma ſit eiuſmodi,quod & ſummam vitæ corruptelam,in orbem Chriſtianum inducat , cum optatâ malignis genijs,animorum ſtrage ac pernicie; & ipſius Chriſti Evangelium,ut pòſt oſtendemus,perverſiſſimâ interpretatione ab imo convellat ac ſubruat:opportunè dicente in rem noſtram in caput 1. Epiſtolæ ad Galatas, B.Hieronymo: *Perversâ interpretatione , de Evangelio Chriſti, hominis fieri Evangelium;&,quod pejus eſt* (inquit) *diaboli.*

CAPVT



CAPUT XIV.

Calvinum, aut Calvinistas, quod eis propriè Spiritus privatus competat, nullâ satis firmâ ratione probare posse.

EVm ſpiritum, vt ante vidimus, ſibi ſuiſque propriè arrogat ipſe Calvinus. Verùm & Lutherum, eundem ſibi, ſuiſque vindicare, ex eo collegimus; quòd in Aſſertionibus, articulo 115. & ſequentibus, Concilia etiam œcumenica, ita contemnat, ut perinde atque Calvinus, dicat, quidquid illa definierint, id omne cujuſvis privati hominis judicio eſſe ſubjectum: atque adeò quid credendum ſit, quid non credendum, relinquendum judicio cujuſvis viri ſpiritualis. In quem itidem ſenſum Ioannis Brentij expreſſa verba, citavimus.

Atque, ut veteres ſuprà memoratos omittam, ſimilem ſibi ſpiritum è recentioribus arrogarunt Libertini quidã ſuvenkfeldiani, & Anabaptiſtæ fanatici: quibus hac in parte affines cenſeas(niſi quod reipsa videantur eſſe quidam Calviniſmi Surculus) in Anglia dictos Tremulantes; quòd veluti jugiter in divini Numinis conſtituti conſpectu, præ ſummæ atque infinitæ Majeſtatis horrore perpetuo tremore membra quatiant: quemadmodum à Pratcolo & Sandero memorantur ex Anabaptiſtarum grege ejulantes appellati, quòd ex ſimili aliquâ contemplatione, continuis lacrymis

lacrymis & ejulatu cuncta complerent.

His autem positis: cùm prædictas sectas, compertum sit inter se, variis in articulis esse contrarias; & aliunde constet, Dei spiritum sibi adversum & contrarium esse non posse: evidenter sequitur, earum aliquas (aut potiùs omnes) falso fundamento eum spiritum sibi vindicare; ac proinde earum quamlibet non immeritò fraudis ac falsitatis esse suspectam; nisi siqua id privilegij, sibi præ cæteris (uti specialiter contendunt Calvinistæ) concessum esse ostenderit.

Quam in rem in-primis audire juvat ipsum Calvinum, de spiritu Dei, quo præditus sit, libro 2. *de libero arbitrio adversus Albertum Pighium*, magnificis verbis testificantem. *Desinat*, inquit, *stupere Pighius, unde hac nova & inaudita doctrinæ nostræ efficacia: quando res ipsa clamat, neque nos hodie loqui, sed Deum è cœlo virtutem suam exercere.* Quibus satis innuit, Deum ipsum, seu Dei spiritum, per os eius esse loquutum; quod magis expressit mox referendâ formâ loquendi.

Verùm, ut Calvino, iustâ ratione jam non oggeram, quod immeritò Salvatori nostro objectabant Iudæi. *Tu testimonium perhibes de te ipso, testimonium tuũ non est verũ: ante omnia ex ore tuo te iudico*, testis fallax, & insipiẽs. Audio enim te ejusdẽ Tractatus lib. 1. in Lutheri laudibus his vobis fatuè exultantem: *Res ipsa clamat, non Lutherum ab initio loquutum, sed Deum per os ejus fulminasse.* Et iterum: *Testamur Lutherum nos habere pro insigni Christi Apostolo*, eundemque epistolâ tuâ 145. vocas, *eximium Dei servum, & fidelem Ecclesiæ Doctorem.* Quæro igitur nunc ex te; an authenticum

thenticum hoc, luculentumque, quod de Lutheri doctrinâ, ſpiritu, Apoſtolatu, dediſti teſtimonium verum fuerit; an non?

Si etenim falſum illud fuiſſe reſponderis: hoc ipſo te falſum prophetam, eoque Dei ſpiritu, quo veram fidei doctrinam à falſa te diſcernere jactas temet deſtitutum oſtenderis.

Si autem illud verum fuiſſe, atque adeò Lutherum reipsa fidelem Apoſtolum Chriſti fuiſſe, Deumque per os ejus loquutum, pertenderis: jam teipſum ſanè cõdemnaveris ore Lutheri. Quippe qui ex ſpiritu Dei loquens, iſto te fulmine, atque tecum omnes universè ſacramentarios, Deo utique (veluti loqueris) per os ipſius fulminante, perculit: *Hæreticos ſeriò cenſemus & alienos ab Eccleſia Dei, Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negant corpus & ſanguinem Chriſti ore carnali ſumi in venerabili Euchariſtiâ.* Verba ſunt Lutheri aſſertione 27. contra articulos Lovanienſes. Atque vt diſſimulem, quæ eâdem in cauſâ pluribus diſputat in libro inſcripto: Defenſio verborum cœnæ &c. vbi cum ipſum errorem tuum, appellat phantaſma diaboli: audi quid proprè de tuo tuorumque ſpiritu judicet, apud Gretſerum, libro 1. contra Goldaſtum cap. 12. dicens: *Spiritus Calviniſtarum eſt diabolicus ſpiritus, mendax ſpiritus, rebellionis & diſſenſionis ſpiritus,* ſic ille.

Vides ut undique conſtricta teneris vulpecula: permittes etenim, ut eo te nomine compellem; Auguſtinum ſequutus; cujus utique monitu, hanc ipſam contra te argumenti formam propenſiùs uſurpem. Is ſiquidem enarratione in pſalmum 80. cùm

cùm præmisisset *vulpes, insidiosos, maximéque hæreticos, significare, fraudulentos, in cavernosis anfractibus latentes & decipientes, odore etiam tetro putentes*; atque illo prolato, ex secundo capite Canticorum versiculo: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas; latentes in cavernis tortuosis*; quod quidem in hunc sensum explicat: *Capite nobis, convincite nobis; capis, enim,* inquit, *eũ quem de falsitate convincis.* Postremò eam rem; ipsius cõfirmat Salvatoris exemplo, Matthæi 21. Principes Sacerdotum simili dilemmate, seu quæstione ancipiti, perurgẽtis: *Vulpes,* inquiens, *solent habere tales foveas, ut ex una parte intrent, & ex aliâ parte exeant: ad utrumque foramen captor vulpium retia posuit. Dicite mihi, baptismus Ioannis, unde erat: è cœlo, an ex hominibus?* Quo verbo constricti, adversarij obmutuere. Ex quo demum infert præclarus Doctor, in rem nostram: *obtemperemus ergo & nos docenti Verbo Dei: proponamus ad foramẽ utrumq; ut unde vulpes exeat, capiatur.* Quod eo loco ipse facit; & nos hîc & alibi, facimus.

Neque propositi argumenti vim effugeris, si fortè dicas Calvinũ restrictè locutũ de Luthero in ipsis initiis; quãdo nempè nondũ Calvini placitis opposuerat se, aut eũ pro hæretico habuerat.

Contrà enim facit: tum quod ipsi Lutheri discipuli, quò doctrinæ Magistri sui, seu inconstantiã seu cõtrarietatem excusent, cõpellãtur dicere, illum diversa sensisse à principio, cùm nondum haberet Spiritum Dei. In quo rursùs ambages, & Labyrinthus inextricabilis: ipso præsertim Luthero verbis expressis contradicente, dum superiùs ita scribit cõtra Regẽ Angliæ: *Certus sum, quòd*

quod doctrinam meam de cœlo habeam, & quod non possit esse sibi contraria.

Tum, quòd hæc responsio apertè repugnat ipsi Calvino, disertè docenti: eum, qui semel verâ fide, ac Spiritu præditus sit, non posse fidem, aut spiritum Dei deinceps amittere. Ex quo statim sequitur; quod si Lutherus ab initio, cùm eúm Calvinus pro vero Christi Apostolo habuit, vero Dei Spiritu præditus fuerit; etiam postea, cùm ipsum Calvinum pro hæretico perverso habuit, eundē spiritum retinuisse, dicendus sit.

Verùm his obiter, rei illustrandæ, insinuatis; quid suprà relatis Calvini verbis, aut veri subsit, aut verisimilis, magis directâ ratione consideremus.

Res ipsa clamat, inquis. Quæ res, inquam? An ipsa fortasse doctrina tua per se spectata? quæ non nova duntaxat (nisi fortè quatenus, ex obsoletarum rancidarumque hæresum putentibus scrutis consuta atque conserta est) ipsique adeò Catholicæ Doctrinæ, continuâ ab Apostolis Christi, eorumque successoribus, per tot sæcula, traditione acceptæ, eidemque tot confirmatæ divinis prodigijs, tot sanctorum Doctorum scriptis, tot martyrum sanguine roboratæ, prorsùs contraria in his Tractatibus à nobis ostenditur; verùm etiam per sese instabilis, & varia, & secùm ipsa fœdè pugnans, insuper in Deum, Divosque injuriosa, tandemque omni licentiæ, probroq; favens, ac obnoxia?

Quibus utiquè titulis, à nobis paulatim demōstrandis, non divinam sese profectò clamat, sed humano, eoque versatili, excogitatam ingenio, &

ab

Isaiæ 19. ab eo, quem ſcriptura memoret, Spiritus vertiginis eſſe conceptam.

Res ipſa, inquis. Num illa, quam commendas doctrinæ tuæ efficacia; quâ velut magnus quidã Apoſtolus Gentes complures ad purum Chriſti Evangelium reduxeris, & collapſos Chriſtianorum mores, uti prætendebas, ad veram virtutem ſanctitatemque reformaveris?

At, præterquam, quòd religio tua exiguis ſanè terrarum ſpatijs circumſcripta eſſe noſcatur, eaque vix uſquam tecùm perfectè conſentiens; ut manifeſtum fit ex adeò diverſis ſingularum gentium, fidei, ut appellant, confeſſionibus: è diverſo, inquam, mirum videri poteſt, quod vobis libertatem Evangelicam, hoc eſt immunitatem ab omni lege, & laxam carnis licentiam, prædicantibus, non plures ab Eccleſiæ Romanæ caſtris ad veſtra ſigna confugerint.

Vt jam non addam, quod res ipſa clamat, & alibi expreſſiùs confirmabitur: prætenſam veſtrã religionem in dies labi ac deficere; & *ſpuria* iſta *vitulamina* (qua voce S. Optatus Milevitanus deſignari credit hæreticos) ſenſim evelli extirparique: ut ſit indicio, ex ſalvatoris denuntiatione, eam plantationem à Patre cœleſti plantatam non eſſe.

Sap. 4. l. 4. contra Parmen. Matth. 15.

Porrò, quod ad mores tuorum diſcipulorum attinet; quàm ij non ad amuſſim veræ ſanctitatis exacti fuerint, liquidò apparet ex verbis tuis, quibus eos, qui te ab initio aſſectati ſunt, quique primitias ſpiritus tui, & reformationis tuæ primævam formam præferre debuerunt, eo modo deſcribis atque deformas, ut in ijs non

Chriſti

Christi discipulos, sed Antichristi præcursores, & quasi emissarios, quivis facilè possit agnoscere. Verba tua, certioris fidei gratiâ, opportuno loco postea annumerabimus.

Denique, *res ipsa clamat*, inquis. Virtutes fortassis, signa, prodigia, quibus suorum Apostolorum Deus, consuevit ornare prædicationem, & verba confirmare! Quæ nulla à vobis exhibita, aut ostensa fuerunt: vt de vobis quinti Evangelij præconibus loquens rectè observarit, familiaris vester, Desiderius Erasmus: *Non credebatur Apostolis; nisi miracula adstruxissent fidem doctrinæ: nunc quilibet sibi postulat credi, se habere spiritum Evangelicum*; cùm interim, ut addit: *nullus vestrûm adhuc extiterit, qui vel equum claudum sanare potuerit*. Et si qua fortassis attentaretis miracula; non ex mortuis vivos, ut Apostoli; sed (ut de te, Calvine, speciatim testatur Ioannes Bolsecus, primùm tuus, ac deinde noster) ex vivis effeceritis mortuos. *Diatribâ de lib. arb.*

Ex quibus omnibus apertè colliget lector ingenuus: quod, cùm, ex Ambrosij pronuntiato; *Morale sit omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem adstruant*; ab hac quoque lege sese liberum prætendens Calvinus, qui iactabundè quidem de semetipso, suaque doctrina pronuntiet; non esse se qui ea quæ docet, eloquitur, sed quòd per os suum, loquatur Deus, id interim sibi credi velit, nullo id sat firmo fundamento adstruens; multò autem minùs, quæ, est præsentis capituli intentio, id sibi, suisque, pro cæteris sectis, competere, ullo signo, indiciove confirmans. *L. 1. in c. 1. Lucæ.*

Etenim si ex Calvino Calvinistisve quæramus, utrùm

utrùm Lutheranos ; exempli causâ , in rebus fidei dijudicandis , eodem ſecum ſpiritu privato, ſeu interiori Spiritus perſuaſione , donatos eſſe credant; difficulter , opinor , eâ ſe quæſtione extricabunt.

Nam ex unâ parte ſi conſequenter loqui velint , affirmare non poſſunt : ne continuò quis inferat , Calviniſtas ipſos , vero Spiritu Dei carere : quippe cùm internus eorum ſpiritus , Lutheranorum ſpiritui planè contrarius ſit ; quem iam admiſerint verum ſpiritum Dei eſſe.

Negabunt igitur ; ſed mox inſtabitur ex adverſo : quòd cùm, Lutheranis v. g. (perinde ac ipſi) eo ſe ſpiritu præditos eſſe proteſtantibus, & certam itidem illius in animo ſuo experientiam allegantibus , fidem ipſi habendam non cenſeant : iniuſtè à nobis alijſve poſtulent , ut ipſorum potiùs de ſuo ſpiritu atteſtationi fidem habeamus ; quando , ut apparet , pro parte ſuâ, nullis argumentis indicijſve probare poſſint , ſuum potiùs ſpiritum , legitimum ac verè divinum eſſe , cæterorum autem falſum atque fallacem , & meram cerebri ſibi ſomnia fingentis aberrationem.

Niſi fortè , quod quidam inſinuant , id exinde à ſe probari putent , quòd ſpiritus ipſorum reipsâ ſit cum Dei verbo conſentiens , à quo aliena ſit , interior illa adverſariorum perſuaſio.

Sed præterquam , quòd ita incidunt in apertum, & ſuprà à nobis rejectum circulum ; dum (uti patebit conſideranti) ſpiritus ſui ſinceritatem,

tatem ex legitimo Scripturæ ſenſu,& legitimum Scripturæ ſenſum,ex ſpiritus ſui ſinceritate,reciprocè confirmant: Idipſum licebit adverſariis ipſis dicere: nempè ſpiritum ſuum verbo Dei eſſe conſentaneum, aliorum autem ab illo diſſentire.

Vt proinde ſicut per refugium ſuum ad interiorem illam Spiritus ſancti perſuaſionem,in eoque contumaciter perſiſtentes Calvini ſectarij, eripiunt nobis aliiſve facultatem omnem errores ſuos ex Dei verbo directè convincẽdi;quia quidquid in contrarium adferas, præfractè dicent,id non eum in ſenſum,qui prætenditur, ſed in eum quem illis dictet ſpritus privatus, eſſe accipiendum: pari ratione,eandem ſibi facultatem præcludant contra adverſarios,ſimiliter ac ipſi, ad cæcum illud interni ſpiritus latibulum confugientes, & conſimiliter de ſapore intimo, quo ſcripturarum ſenſum legitimum à non legitimo diſcernere queant,inſolenter gloriantes.

Multo autem minùs erit, unde intra ſeipſos, intra ipſam,inquam,Calvini ſcholam,exortas de fidei doctrina controverſias,poſſint componere: quando apud ipſos, & unica fidei comprobandæ regula ſit verbum Dei, & eorum quilibet æquo jure interiori illa Spiritus ſancti perſuaſione ſeſe præditum jactare ac pertendere.

Quæ omnia, quantam, in Eccleſiam Deĩ, religionum confuſionem, animarumque perniciem invehant; unoquoque ſcilicet, eo prætextu, fidem ſibi propriam modulante atque conſtituente; & ipſa rei natura monſtrat, & confirmat experientia, ipſo jam olim eâ gratiâ

indignante Luthero; cujus hæ voces ſunt in epiſtola ad Antuerpienſes: *Tot inter nos Religionos ſunt quot homines: nec aſinorum quiſquam eſt tam hebes & vecors, qui inſomnia proprij capitis & propriam opinionem, pro inſtinctu Spiritus ſancti, & ſeipſum prophetam, haberi nolit.* Sic ille.

At piget me tandem, tædetque fortaſsè lectorem meum, prolixioris in hoc argumento confirmando ſermonis. Quanquam operæ fuit, ei fallaciæ denudandæ demonſtrandæque verba pluſcula facere: quòd eo fundamento ſublato, neceſſe ſit ruere, omnem iſtarum ſectarum machinam & columen Religionis reformatæ.

Nam cùm ea fides, ſeu Religio, ut ipſi adſtruunt, propriè & unicè fundetur in ſcripturæ canonicæ autoritate; quæ autem ſcriptura ſit canonica, & quis verus illius ſenſus, habeant demum atque diſcernãt ex illâ Spiritus ſancti perſuaſione: ſi hæc perſuaſio, quàm ſibi ad omnia adeſſe & ſufficere jactant; uti tot modis ſatis apertè demonſtratum eſt, frivola ſit & inſufficiens; immò verò fallax & erronea: conficitur, eorum religionem, quam ipſi Reformatam appellant, ſub obtentu ſpecioſi nominis, umbraticam eſſe, inanem, falſam, & humano generi pernicioſam. Quippe cùm ejus ſectatores, ſuæ imaginationi aut affectui obſecundantes, animi proprij conceptus, pro puro verbo Dei vendicent, & tum ipſi ſeſe, miſerè deluſi, decipiant, tum aliorum ſimplicitati

imponentes,

imponentes, eos secum in fraudem inducant. Quod quidem præsertim evincere, scopus est operis præsentis.

Sed modò, hunc ipsum in finem, aliâ nobis viâ procedendum est.



CAPUT XV.

Novitias sectas à Deo non esse, ex ipsarum fructibus apertè colligi. Atque in-primis, ex inducta per illas, in orbem Christianum magnâ vitæ licentiâ, ac supremâ morum improbitate.

PRoximè vidimus, ex una parte Lutherum pro certo & comperto ponentem, se doctrinam suam de cælo & à Deo habere: ex altera Calvinum, ex Dei virtute manifestâ, autoritatem sectæ suæ conciliare satagentem: neutrum asserti sui probationem efficacem adferentem. At pergimus nos præsenti capite, prorsus oppositum ex ipsarum sectarum fructibus, efficaciter demonstrare.

Certissimum est Salvatoris nostri, Matthæi, 7. capite pronuntiatum: cùm de falsis prophetis doctoribusve, qui prætentâ boni specie Ezechielis phrasi, *capiunt animas volantes*, detegendis ac dignoscendis agitur; doctrinæ eorum fructus spectandos. Quia, cùm non possit arbor bona malos fructus facere: si doctrinæ eorum fructus, sive effectus, mali sint, pro c. 13. v. 20.

 certo

certo habendum, ipſam quoque doctrinam, malam eſſe.

Quapropter inſtituti noſtri non parum intereſt, diligenter attendi, quos denique fructus, novitiæ ſectæ, ſive quoad morum integritatem, ſive quoad ipſam fidei Chriſtianæ conſervationem, in Eccleſia Dei protulerint; ut quales ipſæ ſint, non præſumptione temerariâ, ſed indubitato documento cognoſcatur. Et quando ea res, non meliùs, neque efficaciùs conſtare poteſt, quàm ex eorum, qui eas ſectas, vel inſtituerunt, vel ſectati ſunt, ipsâ videlicet veritatis vi, extortâ fideli confeſſione: idcirco expreſſà proferemus eorum teſtimonia, ut nulli hac de re dubitatio reſtare poſſit. In primis igitur Patriarcha Lutherus, ſectatorum ſuorum, in ipſis ſuæ prædicationis exordijs, quo tempore ſolet, cuiuſque Religionis ſtudium ac fervor comprimis vigere atque ſpectari, vitæ rationem moreſque ſolennes, hiſce coloribus, nec uno loco, graphicè depingit.

Imprimis enim ſic illum audimus in Poſtilla Dominicæ 1. Adventus; eâ ſuper re pronuntiantem. *Mundus ex hac doctrina* (Lutheranâ ſcilicet) *in dies deterior evadit: quod peſſimi dæmonis opus & negotium eſt: Enimuerò videmus, quòd hoc tempore homines ſint magis avari, immiſericordes, impudici, procaces, adeóque deteriores quàm antea in Papatu fuerunt.* Et in ſermonibus convivialibus Germanicis: *Mirabilis*, inquit, *& plena offendiculo res eſt; quòd ab eo tempore, quo prima Evangelij doctrina in lucem revocata fuit, mundus de die in diem deterior evaſit,*

evasit, Christiana libertate quilibet ad libitum abutitur; non secus ac si cuilibet quidlibet facere concessum sit.

Iam è Lutheranis Andreas Musculus lib. de Prophetiâ Christi: *Iterum, cogor dicere, quia verum est: contumaciores homines, in quorum animis, omnes omnis virtutis & honestatis scintillæ sunt extinctæ, & apud quos nihil iam pro peccato habetur, nusquam nec apud Ethnicos, Iudæos, Turcas inveniri, quàm inter Evangelicos; apud quos omnino solutus ac liber viget diabolus; utque paucis rem omnem eloquar, illud nunc est, eoque nostra Lutheranorum res redijt: ut siquis videre cupiat magnam turbam, nebulonum, Atheorum, usurariorum & deceptorum, ei adeunda sit civitas aliqua in qua Evangelium prædicatur.* Denique, pluribus aliis omissis, quos indicat Tannerus disp. 1. de fide q. 3. dub. 4. non minùs tragicè de fratribus suis, Evangelicâ illâ libertate abutentibus, concione 4. ad caput 21. Lucæ, scribit Iacobus Andræas Schmidelinus; ubi hæc habet inter cætera: *Atque ut totus mundus agnoscat, eos (scilicet, Lutheranos) non esse Papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operum nullum penitus exercent. Ieiunij loco, comessationibus & perpotationibus nocte diéque vacant. Vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt & excoriant. Precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & divini nominis execrationes; idq; tam perditè, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur.* Sic ille.

Addo ad extremum Paulum Eberum præfatione in comment. Philippi, in epistolas ad

Corinth. Germana ingenuitate ſic proloquentem: *Vniverſa noſtra Evangelica congregatio, tot ſchiſmatibus & offendiculis patet, ut nihil minùs ſit, quàm quod ſe eſſe gloriatur.* Et infrà: *Quæ mala cùm quiſque proprijs oculis intuetur, meritò dubitat, an noſter Evangelicus cœtus vera ſit Eccleſia &c. in quo tot & tam enormia vitia conſpiciuntur.*

Sed neque hoc loco omitti debet illa Simonis Pauli Lutherani ſuperintendentis, nec fundamento carens, & zeli plena, tametſi ex parte ridicula, comminatio: ita in ſermone Dominicæ tertiæ poſt Trinitatem, effervescentis: *Noſtro tempore juſtè cõqueri poſſunt, & dicere verbi Miniſtri. Væ tibi, Lubeca; væ tibi Roſtochiũ &c. Et tu Saxonia, licet cœlum uſque exaltata ſis, ob Evangelium, quod ex te primùm ortum, totum terrarum orbem, jam ante diem judicij ſanctum pervaſit*; (qua in in parte ſeſe, rem callentibus deridendum propinat bonus ſuperintendens) *in inferno tamen detrudêris, eò quòd tantum donum non agnoveris, & in tanta Evangelij luce pravos mores non correxeris.* Quæ poſtrema etiam inſulsè ſcripta. Quaſi nempè quintum Evangelium, morum correctioni, & non potiùs corruptioni, ſerviat: cùm juxta Lutherum, ſola infidelitas peccatum ſit, & opera bona ſaluti potiùs pernicioſa: ut infrà.

Tandem neque moleſtum arbitror fore Lectori meo, ſi hominis non Lutherani quidem, ſed iis amici, verba etiam pluſcula ſuggeram, quò res, apud me momenti non levis, tantâ inductâ nube teſtium extra controverſiam habeatur.

beatur. Ad Calcem determinationis facultatis Theologicæ Parisiensis, super quàmplurimis assertionibus Desiderij Erasmi: adjecta est quædam ejus ad amicum Religiosum (qui per occasionem exortarum hæresum, in suscepto statu nonnihil fluctuare videretur) sapiens in-primis epistola; ubi inter alia his illum verbis aggreditur: *Vereor ne imponant tibi, quorundam hominum præstigiæ; qui jactant hodie splendidis verbis libertatem Evangelicam. Crede mihi, si propiùs nosses, minùs te tæderet istius vitæ. Video genus hominum exoriri, à quo meus animus vehementer abhorret. Neminem video fieri meliorem, deteriores omnes quotquot ego sanè viderim: ut vehementer doleam, me quondam in libris meis prædicasse libertatem Spiritus; quamquam id bono animo fecerim, nihil minùs suspicans, quàm hujusmodi populum exoriturum. Optabam aliquid decedere cæremoniis humanis, ut multum accresceret veræ pietati. Nunc sic excutiuntur illæ, ut pro libertate spiritûs succedat effrænis carnis licentia. Civitates aliquot Germaniæ implentur desertoribus monasteriorum: non aliud quàm saltatur, editur, bibitur.* Omitto reliqua.

Quibus affinia eum tradere videas in alia quadam epistolâ, à Tannero relata loco citato: ubi, *Circumspice*, inquit, *populum istum Evangelicum: & observa num minùs illîc indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciunt ij, quos detestamini. Profer mihi quem istud Evangelium, ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos osten-*

dam, qui facti sunt seipsis deteriores.

Sed his multò plura ex eodem Erasmo collecta invenies apud Gretserum in Tractatu inscripto : *Erasmi de novo Evangelio &c. judicium*: Ex quo pauca ista lubet insuper adjicere. libro 19. epist. ad Melancthonem &c. de Evangelicis, seu Lutheranis proloquitur Erasmus. *Hic nobis hoc Evangelium gignit novum hominum genus, præfractos, impudentes, fucatos, maledicos, mendaces, sycophantas, inter se discordes, nulli commodos, omnibus incommodos, seditiosos, furiosos, &c. Hæc ille.*

In quibus observa, rectè ab eo dici hoc Evangelium tale hominum genus gignere : ne quis intelligat, hos pessimos mores ex consuetâ naturæ infirmitate subnasci; sed ex ipso sectæ ingenio; eosque quinti Evangelij, & ejus Spiritus, fructus proprios ac genuinos esse.

Quò etiam spectat, quod paucis, sed efficacibus scripsit lib. 1. epist. 28. ad Hezium : *Omnes*, inquit, *habent in ore quinque verba : Evangelium, Verbum Dei, fidem, Christum, & Spiritum.* Et tamen hîc (Basileæ nimirum) *tales video multos, ut non dubitem quin agantur spiritu Satanæ.*

Atque hæc de primorum illorum Evangelicorum (si Deo placet) sibi optimè perspectis moribus, homo alioqui ab eorum placitis non per omnia alienus Desiderius Erasmus.

Attamen ut hîc obiter notetur istorum hominum, probrosa (tametsi illis solemnis) in affirmando, negandove inconstantia : is ipse Lutherus, quem supra vidimus, de suorum sequacium moribus adeò acerbè atque tragicè declamantem; is, inquam, in alterum extremum temerè

rè inconſtanterque deflectens, in caput 28. Geneſis, auſus eſt de ſuis fidelibus ita ſcribere: *Non debeo Chriſtianum proximum, omnium minimum, inferiorem æſtimare D. Petro & omnibus Sanctis, qui ſunt in cœlo.* De quo numero alibi, ne ipſam quidem S. Deiparam excipit. Neque excepturum credet, ipſum Sanctum Sanctorum, Chriſtum Dominum; qui apud eundem Tomo 3. Germ. in admonitione ad Argentinenſes legerit: *opera eſſe minimam & viliſſimam particulam in Chriſto, eaqué in re Chriſtum cæteris Sanctis parem eſſe.*

Aliunde porro, cùm rurſus ex ejus doctrinâ habeatur; omnia juſtorum opera, quantumcumque bene ſint facta, ſi per ſe ſpectentur, eſſe opera peccati, & opera diaboli: an putes eundem eò furoris eſſe venturum, ut hac quoque in parte Chriſtum cæteris parem faciat, & quod vel cogitare horret animus, etiam opera Vnigeniti Dei, opera dicat eſſe diaboli.

En amice Lector, quæ verborum tricæ, doctrinæ vortices; immò quam inſani & in ſemetipſos protervè incurrentes, ipſoque conflictu, ſemet elidentes & opprimentes, fluctus ſententiarum! ſed de his alibi.

Quod ſi non ubique fortaſſis inter acatholicos, ea ſecuta ſit, aut adhuc perſiſtat, vitæ licentia, morumque corruptio, id partim populorum in honeſta ac juſta propenſæ indoli; partim publicis locorum, quatenus id ad pacem communem neceſſarium viſum eſt, inſtitutis & legibus tribuendum eſt. Alioqui, ex ipſo ſectarum genio, quid è diverſo ſubſequi natum ſit, manifeſtum eſt, ea quæ diximus, conſideranti.



CAPUT XVI.

Extenditur ad Calviniſtas, eorúmve mores à nobis ſuſcepta demonſtratio.

Videamus modò num fortè molliùs benigniúsve de primigeniorum ſectatorum ſuorum moribus ipſe Calvinus, eorumque conſortes pronuntient. Expedit ſiquidem per hanc occaſionem accuratiùs recognoſcere, cujuſmodi fuerint Sancti illi ſcilicet, qui hiſce noviſſimis temporibus, ſeſe, præ cæteris, qui unquam extiterint, Eccleſiæ ſanctæ Doctoribus, inteſtino illo atque arcano Dei Spiritu dignatos atque præditos jactant; Confeſſionis illius Calviniſticæ, ſive omninò Eccleſiæ (quam appellant) Reformatæ conditores. Vt enim odiosè Calvini lilia jam non refricem, neque Coapoſtolo ejus Bezæ, pudendos Candidæ Audebertulique amores, eâ ipsâ avenâ, quâ poſtea ſacrorum Davidis carminum Gallicam verſionem modulari aggreſſus eſt, propudiosè cantatos (ut olim Ario Thaliam ſuam Sotadicam, Athanaſius, & Patres alij) importuniùs exprobrem: ea duntaxat in medium proferrre contentus ero, quæ de ſurgentis iſtius Eccleſiæ primitivis fulcris ac columinibus nobis ſuggerit teſtis locuples, ipſe Calvinus.

Orat. contra Arianos.

Quippe qui de iis agens, qui à Papatu ad Evangelium (ſic enim loquitur, quaſi in Papa-

tu

tu Evangelium non ſit; cùm à Papatu Evangelium, non enim à Iudæis, opinor, ipſe acceperit) per ea tempora confugiebant; qui utique ſoli conſtituebant muſteam illam ac primitivam Eccleſiam; quibus illi, inquam, exculti moribus, quâ vitæ ſanctitate ornati eſſent, non uno loco in hæc verba deſcribit.

In exiguo illorum numero (inquit Calvinus ſcribens in caput 11. Danielis) *qui ſe ab Idolomaniis Papatus ſubduxerunt, major pars plena eſt perſidia & dolis. Præclarum quidem zelum ſimulant, ſi tamen intus excutias, reperias plenos eſſe fraudibus.* Et commentario in 2. Petri caput 1. *Vix eorum decimus quiſque eſt*, inquit, *qui alio fine Evangelio nomen dederit, quàm ut ſolutiùs in omnem laſciviam diffflueret.* Apoſtatæ ſcilicet monachi, è quibus ſeptem, ſi Fevardentio credimus, primi autores fuerunt Confeſſionis fidei Gallicanæ.

Nimirum, ut epiſtola quadam ad Vvilibandum obſervat Eraſmus cujus teſtimonium nihil admodum eſt cur ſuſpectum habeant ſectarij: *Duo tantùm quærunt novi Evangelici*, (*qui nempè à Papatu, & Sacerdotio, votiſque monaſticis*, ad Novatorum ſectas tranſeunt) *cenſum & uxorem: cætera præſtat illis Evangelium; hoc eſt, poteſtatem vivendi, ut velint.*

Quibus paria ſcribit Bucerus; tum ſacramentarios, tum Lutheranos, iterato transfugio expertus, libro 1. de Regno Chriſti cap. 4. ita proloquens: *Maxima eorum pars, id tantùm ex Evangelio Chriſti petiiſſe viſa eſt, ut jugum quali-ſcunque*

liſcunq; diſciplina, pœnitẽtia, & religionis univerſa, quæ in Papatu reliqua fuit, abjiceret; proq; carnis ſuæ arbitrio ac libidine, inſtitueret ageretq; omnia.

Ad hanc igitur formam effićti ſive exculpti erant, ſi ipſum Magiſtrum audimus, major pars, aut plerique omnes, qui primâ illâ naſcentis Eccleſiæ Reformatæ ætate, adhæſere Calvino diſcipuli; atque ipſas adeò, ut ita loquar, Calviniſtici ſpiritus primitias habuere. Hi ſunt quorum autoritate ac nomine condita eſt prima illa fidei Reformatæ Confeſſio; in qua profitentur, eos ſe eſſe, qui ſecundum Evangelij Chriſti puritatem (ſi ſuperis placet) cupiant vivere; qui interiori Spiritus ſanćti perſuaſione, verbum Dei diſcernant, & ipſa penetrent fidei divinæ myſteria; qui denique ad hoc ſubmiſſi ſint, ut Catholicam Chriſti Eccleſiam in fide ac moribus reforment; cùm teſte ipſorum Apoſtolo, ipſi intus eſſent pleni perfidiâ, dolis, fraudibus; & foris luxu laſciviaque diffluerent.

His fulcris, ſive ſtipitibus, innexa ſurrexit illa machina, & ſpecioſum nomen, principio quidem ſplendidè oſtentatæ, at modò ſenſim obſcuratæ, & in dies evaneſcentis, prætenſæ Reformationis.

Atque his ritè conſideratis; meritò convenio conſciẽtiam tuam, quiſquis ſalutis tuæ ſeriò cupiens, ſed neſcio quibus detentus officiis, Calvino adhuc adhæreſcẽs, in iſtas paginas incideris; tibine reipſa fieri poſſe perſuadeas; ut quando ſpiritu Dei dićtante, aut ipſo quoque rationis lumine, compertum ſit: quod *in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in*

in corpore subdito peccatis: itemque, quod *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*; eiusmodi homines, quos jam expressis coloribus, graphicè describit proprius ipsorum Propheta, plenos perfidiâ, simulatione, dolis, fraudibus, & qui, non veritatis studio, sed, ut idem ipse de plerisque ingenuè agnoscit, vitæ licentioris & lasciviæ gratiâ, novo illi Evangelio nomen dederint; eos, inquam, interim credatis, præ veteris Ecclesiæ SS. Patribus, singulari illo arcanoque donatos Dei Spiritu, & intimo illo quasi sapore mysteriorum, quo legitimum Scripturæ sensum, aut veras scripturas à falsis, perspicuè possent discernere; prout profitetur, ipsorum etiam nomine edicta fidei Reformatio.

Quando, huc præsertim facere possit, id quod scribit Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 4. *Sapientiam hanc, quæ in malevolam animam non ingreditur, esse cognitionem mysteriorum; & malignam animam esse cuiusvis hæretici, hypocritæ, &c.*

Cùm & alioqui eos ipsos, de quibus agimus, illo suo privato Spiritu destitutos fuisse, agnoscere debeat ipse Calvinus; ut qui eum spiritum solis tradat convenire fidelibus: istos autem, non fide & sinceritate, sed perfidiâ & hypocrisi plenos fuisse, confiteatur.

Quid si porrò his adjunxerimus, quod in Thesauro Catholico observat Iudocius Coccius: *L. 8. art. 12.* eundem Calvinum, concione 10. Gallicè scripta, in Epistolam ad Ephesios; oratione suprà quàm expectari posset, exaggeratâ, pronuntiasse: *suæ sectæ homines esse mortalium omnium sceleratissimos*

tissimos & facinorosissimos ; &, cùm verba, illorum sceleribus satis congruentia invenire non posset, illos denique tetra monstra, & malos genios, humanam formam indutos, appellasse.

L. 1. c. 11. in fine.

Quid si rursum illud, quod refert autor Britannomachiæ : ipsosmet Ecclesiæ Genevensis Ministros atque Pastores, in libro Gallico de scandalis, ita ab eodem Calvino describi : ut uno verbo, dicat ; *eos nequitiæ, vel aliorum vitiorum exempla; & mirari se vulgi patientiam, quod non eos luto & stercoribus operiant.*

Quibus demum consonans Sebastianus Castalio, sub ea tempora Genevensis Ludimagister, (apud Bezam, libro quem sycophantam inscripsit) eodem respectu, in has etiam magis odiosas voces erumpit. *Vocant*, inquit, *Genevam civitatem sanctam, conventiculum verò suum Ierosolymam. At nos dicimus: ô Babylon! ô Babylon! ô Ægypte! ô sacrificuli Ægyptij, & Babylonici incantatores! ô pollutissimi Sodomæ & Gomorrhæ filij.*

Annon ad tam fœda, tamque contestata, majorum vestrorum, primorumque vestræ Ecclesiæ fundatorum probra attoniti hæretis, ô Reformati? atque, ex pronuntiato Salvatoris, infelicem arborem, quæ adeò nefandos ac pestilentes, primâ & integrâ ætate sua fructus protulit, ab imâ radice præcidendam esse censetis?

At non ita sanè, scimus à suis initijs fundatam veram Christi Ecclesiam : sed illius primos sive satores, sive cultores, veluti demonstrant Apostolorum Acta, eâ floruisse laude virtutis, ut

ut eorum vita cæteris & exemplo esset, & venerationi. Neque, si ea uti dicitis, reformanda erat, credi potest opposito modo processuram Dei sapientiam, aut eum in finem ejusmodi operas destinaturam, quæ morum suorum improbitate, non jam collapsam instaurarent, sed potiùs etiamnum stantem disjicerent, etiam integram labefactarent.

Verum enim verò, huc ad extremum adducendæ, & observandæ mihi, veniunt ambitiosæ quædam & magnificæ Calvini voces, quibus in Præfatione Institutionis suæ, Galliarum Regem Franciscum primum in hunc modum affatur.

Nec tam infeliciter, (inquit) *gratiâ Dei, in Evangelio profecimus; quin istis obtrectatoribus, vita nostra castitatis, benignitatis, misericordiæ, continentiæ, patientiæ, modestiæ & virtutis cujusvis exemplar esse possit.* Hæc ille.

Quæ ipsum non credam communiter scripsisse de suæ sectæ hominibus: alioqui apertæ falsitatis, aut mendacij arguendus, ut qui tot locis, tamque exaggeratè, eorum insignem improbitatem descripserit.

Quod si de seipso singulariter hæc locutus sit: credat qui volet, tam authenticum de semetipso testimonium perhibenti.

Mihi quidem monstro simile videtur, selectas illas discipulorum primitias, adeò à dilecti Magistri moribus abhorruisse, aut degenerasse; si ejus vita, ut ipse testatur, omnis virtutis Christianæ speculum fuerit.

Neque

Neque facilè inducar, ut credam: eam Evangelicæ virtutis absolutionem, repertam eo in homine; qui ex disciplinæ suæ scitis, profiteretur, solâ fide justificari hominem, absque subsidio bonorum operum; immò omnium etiam fidelium opera, secundùm se spectata, esse peccata, & quidem mortifera; ipsamque adeò Dei legem esse observatu impossibilem; quidquid autem in eam committat, non imputari fidem habenti. Quæ postea expressè demonstranda, hoc loco, per occasionem sufficiat indicasse, & cùm ea, quàm sibi Reformator iste assumit ac vendicat, eximiâ vitæ sanctitate comparasse.



CAPUT XVII.

Pari ratione, consimilibusque testimonijs ostenditur, easdem sectas, ac nominatim Calvinianam, viam pronam ac latam, ad Atheismum patefacere.

TAmetsi hujus dicti veritas, ex his quæ proximè diximus, spectatâ ipsâ rei naturâ videatur omnino consequens: quandò ipso usu sat compertum est, insignem morum corruptelam, hominem sensim ad impietatem deducere, &, ut ita loquar, inter Epicureismum & Atheismum, propinquam esse cognationem. Sive id ex eo fieri dicamus, quòd ab insano rerum præsentium amore, & assuetudine voluptatum, paulatim homini

mini obbrutescat mens, eique subrepat rerum cœlestium æternarumque oblivio: sive quòd vitiis immersus animus, quo ea vivendi licentia sibi libera & imperturbata sit, obsistentis conscientiæ morsum reprimere satagens, id ut consequatur efficaciùs, eò denique deveniat, ut supremâ quadam insipientiâ, dicat in corde suo: *Non esse Deum.*

Attamen, cùm res proposita, sit per se momenti gravissimi; possitque specialibus rationibus, & multiplici experiētia, ipsaque adeò sectariorum attestatione comprobari, necessarium videtur, id paulò pluribus exequi, remque omnem ob oculos ponere studiosi Lectoris.

Ac primùm, quod ad Lutheranam sectam attinet: audire licet ipsum Lutherum, de plerisque suis gregalibus, quorum Epicuræam vitam superiùs bellè describit, egregio utique acroamate pronuntiantem: *Vivere ut sues, credere ut sues, mori ut sues.* Quod quid est aliud, quàm bestiarum instar, absque Deo, absque fide, absque conscientiâ vivere; & prout vixerit, pariter instar bestiæ mori?

Refertur l. 1. Britannom. c. 11.

Quibus consonat, quod Iacobus Andreas Schmidelinus ad cap. 1. Lucæ: in magna parte suorum Germanorum, Lutheranorum utique, Epicuræam & bestialem vitam agnoscit.

Et verò superiùs, ex ipsius Andreæ Musculi confessione vidimus; per occasionem libertatis Evangelicæ, inductæ scilicet per quintum Lutheri Evangelium; Civitates ipsas plenas Nebulonum & Atheorum esse inventas.

Quò item spectat Ioannis Brentij Vbiquetariorum

riorum parentis, oratio; Homilia 35. in caput 20. Lucæ ita scribentis : *Etsi inter nos nulla sit publica professio, quod anima simul cum corpore, intereat, & quod non sit mortuorum Resurrectio; tamen impurissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicuè indicat, quod non sentiant esse vitam, post hanc. Nonnullis etiam tales voces, tam ebriis inter pocula excidunt, quàm sobriis in familiaribus colloquiis.*

Atque si Luthero, jam Carlostadij inimico credendum putamus: is quidem de illo (teste Canisio, in Præmonitione ad Commentarios de corruptelis verbi Dei) graviter asseverat; *Carlostadium adeò atheum fuisse, ut non crederet vel in cœlo, vel in terra, esse Deum.*

Et de ipso sanè suprà memorato Iacobo Andrea, quem inter primarios Lutheranos nominant, tradit Hospinianus, Historiæ Sacramentariæ parte 2. ex eorum qui diù ipsi Iacobo convixerunt, relatione; *eum, nullum habuisse Deum, nisi Bacchum atque mammonam*: profertque nominatim Nicolaum Sebhecerum & Andream Musculum; qui eundem Iacobum Andream erronem & levissimum scurram vocant; qui, ut ex dictis & factis ejus cognoscitur, neque religionem, neque conscientiam ullam habeat.

Sic illi, de consorte suo, & primario Luthe-rano.

Neque, si rei natura, & ea quæ infrà per occasionem referam, spectentur, erit à vero prorsus abhorrens suspicio: eodem in grege, eiusdem villi plures pecudes, furvas utique, & exti-

tisse

tiſſe olim, & etiamnum ſupereſſe. Quâ etiam mente fuiſſe videas Deſiderium Eraſmum; qui in epiſtola quadam ad fratres inferioris Germaniæ apud Gretſerúm ſuprà: *Non dubito* (inquit) *quin multi ſub hoc Evangelico pallio lateant, titulo Chriſtiani, animo Pagani*: quam item mentem ſuam, ait non uno experimento comprobatam.

Verùm, ut deinceps de Calvini ſectatoribus ſpeciatim agam: qualis in-primis nuperâ ætate, eius rei in Gallia ſtatus eſſet; teſtatur, in ſuâ Chriſtomachia Calvinianâ vir ijs in rebus multùm verſatus, Vvielhemus Damaſi Lindanus, Ruræmundenſis Epiſcopus: ubi de Euchariſtiâ agens: *Hinc videmus*, inquit, *tam multos Calviniſtas, Turcas fieri, vel ſuſceptâ ipſorum circumciſione carnali. Item, plurimos inter eos exiſtere Atheiſtas: de quo & ipſe Beza, & Henricus Stephani, & alij plurimi eiuſdem fermenti Phariſaici, ſuis de commanipularibus lugubriter conqueruntur: lamentantes, non modò per Galliam innoteſcere varia Atheiſtarum genera, ſed nomen etiam ſibi vendicare Deiſtarum.*

Sub eadem tempora Ioannes Maldonatus; qui annis pluribus magna doctrinæ laude, in Gallia floruit, ita ſcribebat in Commentario ad caput 26. Matthæi verſu 26. Vbi cùm dixiſſet, multos ex Calviniſtis factos eſſe *Arianos, à quibus ea hæreſis propagata ſit in Polonia*: *nonnulli* (ſubdit, idque propriâ doctus experientiâ) *progreſſi ſunt longiùs, ut nihil crederent. Quorum unus, cum libellum quendam, de arte nihil credendi*

composuisset, nihil in eo, nisi hoc unum, verum dixit: oportere primùm Calvinistam fieri, qui Atheista esse vellet. Additque ad marginem: hunc fuisse Hodefridum à valle; qui ex Calvinista factus Atheus, Lutetiæ anno 1572. publicè exustus est.

Attamen eo in genere deploratior est, quantum intelligimus, desperatiorque religionis Anglicanæ status; ubi opinor, nemo mirabitur; homines, illinc ingenti odio Romanæ sedis abductos (cui sese olim pro cæteris obnoxiam profitebatur Anglia) hinc autem, in tanta hæresum acerrimè inter se compugnantium, neque in semetipsis satis consistentium, colluvione, non invenientes, ubi pedem tutò figere possint; denique ad nihil omnino credendum devergere, & præ desperatione inveniendæ veritatis, ad supremam omnium falsitatum, Atheismum inquam, præcipitare.

Quâ de re cum inveniam Henricum Fitsimon nostrum, in Britannomachiâ Ministrorum, libro 1. c. 12. ex professo exactéque disputare; placet ex ijs, quæ illîc profert, Anglorum, sive Protestantium, aut Formalistarum, sive Puritanorum testimonijs, nonnulla seligere, & ad rei fidem faciendam, ipsorum verba annumerare.

Igitur ex sectarum in Anglia ebullientium varietate, earumque inter se, de fidei rebus interminatis contentionibus latam Atheismo expandi portam, verbis quæ subjicio, fatentur Parkes: *contentiones nostræ, non minimæ sunt ad Atheismum præparationes.*

Sandes:

Sandes : *nostra lites ad augendum Atheismum domi, & Mahometismum foris, vehementer faciunt.*

Barlous : *Religio in Anglia, ab annis multis conversa in statismum, brevi transibit in Atheismum.*

At verò reipsa Angliam scatere Atheistis (utinam falsò) jam tum agnoscebant ij quos modò proferam. Zanchius: *inter alia monstra, Ministri Satan, Atheismum ex infero in Reformata aliquas Ecclesias invexerunt.* Covellus: *Atheismus & hypocrisis in omnibus ordinibus huius regni, orta ex Puritanismo.*

Vvhitgistus Cantuariensis: *Ecclesia nostra plena est Atheistis.*

Kingus Londinensis Episcopus, quanquam id potiùs ad morum corruptelam atinet : *Ita vivimus, ut potiùs convincamur perfecti Athei.*

Et ne solos putes ejus impietatis suspectari, aut accusari Puritanos: ipsos vicissim Puritanos apud suprà laudatum autorem videas, libro 3. cap. 2. inter alia encomia, quibus è diverso Ministros Formalistas exornant, proclamare, illos esse multitudinem reproborum & perfidorum Atheorum. Sic illi. Fortassis ex verbo veteri; cacabo ollæ, & ollâ cacabo, vicissim nigrorem objectante.

Tandé, ne fortassis Hollandos Calvinistas ejus pestis immunes existimemus: Maximilianus Sandæus noster, & ipse gente Hollandus, Parte 1. Hydri Hollandici lib. 1. cap. 2. testatur; didicisse se ex ipsis Hollandiæ Doctoribus, in eâ quàm maximè Atheismum radices egisse.

A qua insaniâ nō longè abfuisse è Remonstrãtibus Arminianis Conradum Vorstium, in Leydensi Vniversitate Theologiæ Calvinianæ hoc nostro sæculo professorem, ejusque sectarios; ostendunt illius prorsus indigni de Deo sensus: quem nimirùm negat, esse actu infinitum, simplicem, immutabilem, ubique præsentem, æternâ, seu totâ simul, duratione præditum &c. Propter quæ veluti Atheus ab aliis Calvinistis incessitur.

Inter quos Academici Heydelbergenses, in suâ adversus illum testificatione; propter assertiones ejusmodi, dicunt se verè timere, ne Iesuitæ & Lutherani, illud capitale suis Ecclesiis exprobrent: *eas Deum abnegare; eas Atheismum apertè introducere.* De quo plura Gaulterius sæculo 17. cap. 6.

Accedit, quod ipsi inter se Hollandi Remonstrantes & Contra-Remonstrantes, universè sese aut Atheismi accusent, aut suspectos faciant. Nam, uti videre est, apud eundem Sandæum: Remonstrantes, horridas atque præduras Calvini & Contra-Remonstrantium assertiones, & illam nominatim, de Deo ad peccatum impellente, insectantur præsertim hoc nomine: quod (uti loquuntur) idipsum sanè fons sit & abyssus, omnis Atheismi & impietatis. Neque verò desunt etiam è Reformatis, qui eo titulo, Calvinistarum Deum, Diabolum esse contendant.

Contra-Remonstrantibus ex parte suâ, simile quiddam in ipsos regerentibus: quos speciatim videre est, eo scripto, quo Hollandiæ ordines deterrere conantur, ne controversiarum fidei cognitionem (ad quod à Remonstrantibus sollicitabantur)

tabantur)in se suscipiant; demonstrare volentes, quantæ ex eo Remonstrantium conatu corruptelæ suboriri natæ sint? *Quarum*, inquiunt, *quis fructus? Nisi, ut alterâ alteram ducente, veritas tandem exulet; Ecclesiisque pessundatis, merus Atheismus aut Epicureismus obtineat*, &c. sic illi.

Vt jam minùs opus sit, præter ante dicta & mox addenda, id ipsum de Calvinistis Germaniæ operosiùs comprobare.

Ex his quippe Lector ingenuus, facilè inducet in animum; quod verissimè dixisse ac prædixisse, Cardinalem Hosium, memorat Cornelius à Lapide, in Prioris ad Corinthios caput 11. numer. 125. *Hæreticos tandem fore Atheos; & hæresis omnis finem esse* Atheismum. Nimirum, ut addit citatus autor, *dum à fide Catholica ad hæresim desciscunt, in eaque nihil inveniunt stabile, nihil constans, nihil solidum: quid restat, nisi ut hæresim abjiciant, nihil credant, dicantque in corde suo, non est Deus; Quod utinam* (subdit) *in dies non experiremur.*

Quò itidem facit; quod Fabianus Quadrantius è Reformato Catholicus, in libro Recantationum, ipsius Cardinalis Hosij jussu edito, Recantatione primâ; inter rationes quibus compulsus sit, Romanæ se credere Ecclesiæ, hanc proferat tanquam gravissimam; quòd *adversariorum* (inquit ipse) *altercationibus eò rem vidit perductam, ut ad Atheismum inclinare viderentur.*

Atque eam ipsam, hujus scandali petram, sive lapidem offensionis, esse, sentiunt, & vel inviti agnoscunt

agnoſcunt ipſi ſectarij. Inter quos Henricus Bullingerus (à Berleio relatus Tract.2.c.3.ſect.5. §.6.) ita loquitur: *Ipſi Evangelici inter ſe acriter pungunt & pugnant. Commovet vehemens & implacabilis hæc diſſenſio non paucos: adeò ut animum veluti deſpondentes dicant, ſe poſthac nihil ampliùs, niſi quod ipſis libeat, credituros; quin immò fidem abjicientes, clamant: quid, oro, fidei, in tot factiones diſtractæ tribuas.*

At verò Gaulterius noſter ſæculo 16.c.109. quod eſt de Atheis & Epicuræis, Hedionem profert, de ſuis Evangelicis, in quadam ad Melancthonem epiſtola, ſic conquerentem: *Satanam callidum huc multos agitare, ut cum ſummâ inconſtantiâ iã hoc, iam illud credant, poſthac nihil prorſus credant, & evadant in populum Aſotiorũ.* Hoc eſt, (ut apparet) in meros Epicuræos, ſive homines luxu & laſciviâ perditos: quales Græcè Aſoti appellantur.

Porrò generaliùs expreſſiùſque ex eadem Germania Ioannes Spangenbergius, relatus à Coccio, in Theſauro lib.8.artic.12. *Poſtquam admirabili quadam & ſingulari Dei gratiâ* (ita enim loquitur impius) *Antichriſtianiſmi, ſeu Papatus, horrenda mendacia, doli, deceptioneſque manifeſtata ſunt; incipiunt iam homines nihil ampliùs velle credere; & poſtquam à vinculis Papatus ſe liberos eſſe vident, volunt etiam eſſe liberi ab Evãgelio, & à præceptis Dei; & volunt ut deinceps rectum & iuſtum ſit, quidquid unicuique viſum fuerit.* En crimen; en cauſa. Et an non apparet, hunc ipſum, uti demonſtrabimus, verum ac

genuinum

genuinum ipsius Lutheri spiritum esse.

Huc denique spectat, quod ait Georgius Major in oratione de confusione dogmatum, apud Brerleium, Contzen &c. *Objiciunt*, inquit, *nobis Papistæ scandala & dissensiones. Ingenuè fateor, eiusmodi talia esse, ut satis defleri nequeant. Et inde simplicium animos, ita commoveri, tentari, perturbari, ut omninò dubitent, ubinam locorum in profundo demersa veritas, invenienda sit; an etiam vera Dei Ecclesia uspiam adhuc supersit.* Quam dubitationem (subjicio ego) proximum esse ad Atheismum gradum, rem ipsam vel leviter consideranti, manifestum evadet.

Sed stulti tamen qui propterea dubitent: quando ea ipsa de Novitiarum sectarum veritate ac securitate, fluctuatio, si ad id pacatè reflectant animum, efficaciter persuadet, repetendam esse veterem Ecclesiam, à qua ipsi, aut eorum majores, inconsultò alibi reperiendo veritatis obtentu, temerè stultéque discesserint. Atque jam abstersis iis nebulis, quæ illis Romano-Catholicæ Ecclesiæ sincerum vultum obfuscabant, pronum sit illis, ex veræ Christi Sponsæ Notis, illam, & non aliam, veram Ecclesiam esse, manifestè dignoscere: proclamante B. Augustino: oportere prorsus cæcum esse, qui montem tam magnum, tamque Illustrem non videat. *Tract. 4. in Ioan.*

Quod quamdiu non præstant; aut fluctuare non desinent, aut ipsâ fluctuatione oppressi, in desperationem, Atheismum, certumque demum animæ interitum, præcipitabunt.

Alioqui etenim & iste alius offensionis lapis

proclivíter

procliviter insuper occurret:ut nempè homines hujusmodi, persuasum habentes, defecisse Romanam Sedem,& jam evasisse Antichristianã, neque uspiam alibi, veram Christi Ecclesiam, quæ ex ipsius verbo, perpetua & fixa permanserit, invenientes; consequenter inducant in animum. falsam fuisse promissionem Christi;ipsumque adeò non verum Messiam,aut Dei Filiũ fuisse, sed seductorem. Quod tum aliis quibusdam,tum nominatim Davidi Georgio Hollando,qui multis annis Basileæ Protestanticam Religionem fuit professus,accidisse; ex eius historiâ Basileæ edita,perdiligens talium eventuum observator atque collector, Ioannes Berleius testatur. Vbi etiam aliud profert exemplum Allemanni Redemontani, qui anteà Bezæ familiarissimus,& strenuus Calvinista,simili ex causâ Religioni Christianæ valedixerit.

Tr.2.c.1. Sect.5.

Postremò Adamum Neusserum, olim Ecclesiæ Hygdelbergensis primarium Pastorem, ex Zuinglianismo, per Arianismum, ad Mahometismum,cum aliis non paucis Calvinistis,iisdem gradibus progressum esse.

Vt ea propter, doctus Lutheranus, Ioannes Schutz,non sine fundamento dixerit: *Mahometismum, Arianismum, Calvinismum, fratres & sorores esse*, *seu* (ut addit verbis è trivio petitis) *Tres caligas ex eodem panno confectas*.

Denique extremam hanc ejusdem effectus rationem placet adjungere: quod apud laudatum autorem observavit olim Vvolfangus, Musculus,& hodierna quoque non uno loco demonstrat

ſtrat experientia, ſpectato præſenti Eccleſiarum Reformatarum ſtatu, proclive eſſe, ut populus *paulatim incidat* (ut Muſculus loquitur) *in adiaphoriam* (ſeu indifferentiam) *religionis, omnium peſtilentiſſimam, & Epicuriſmum imbibat, omnis videlicet religionis vaſtationem & extinctionem.* Sic ille.

Atque ex his tandem, quæ pro rei momento ac gravitate, ſtylo paulo diffuſiore produximus, duo quædam habentur, inſtituto noſtro peropportuna.

Primum eſt; quod ſi, velut prætendebat argumenti propoſiti ratio; ex ſalvatoris voce, falſorum doctorum prædicatio, non ex eo quod extremâ ſpecie oſtentant ac præferunt, ſed ex ipſis fructibus cognoſcenda ſit ac diſcernenda: certum ac manifeſtum eſſe debeat, cuivis contrarijs præjudicijs non nimium occupato, quo denique loco habendæ ſint ſectæ novitiæ, quæ ſpecioſo nomine ſeſe Reformatas appellant, quarum proprios fructus, tam peſtilentes ac pernicioſos eſſe jam conſtiterit.

Ipſo etiam ſapienter monente B. Ambroſio; dũ prædictas Salvatoris voces ad hæreticos accommodans: *ſiquis ergo*, inquit, *ſpecie movetur*; *fructũ interroget*. Etenim, exempli gratia, purum verbum Dei, libertas Evangelica, Reformatio Eccleſiæ, & eiuſmodi voces, quæ in ore noſtrorum Sectariorum aſſiduè ſonant, pulchram quandam ſpeciem, apud imperitos præ ſe ferunt: ſed ſi quis cordatus illorum doctrinæ fructum interroget, & quanta exinde corruptio morum, perverſio fidei, ſcripturarum profanatio, animarum denique

l. 7. in c. 10 Lucæ.

peſti

Hincenim illud eſt,quod apud Gretſerum, in ſuppetijs pro Luthero Academico c.8. quidam ex Carloſtadij diſciplinâ (teſte, ut inquit, Eraſmo Albero) in Atheiſmum prolabens; inter cætera: *Quis ſcit*,aiebat,*an ſacra ſcriptura ſit à Deo? Quis ſcit,an verum ſit, extitiſſe aliquando talem hominem,qui Chriſtus appellatur.*

Atque Eraſmus alter Roterodamus, quadam ad Hedionem epiſtolâ, meminit quarundã Othonis Brunsfelſij, (qui ex Carthuſiano factus fuerat Evangelicus) Epiſtolarum:*Bellarum*,ut ait per ironiam; *ut quæ Evangelia quoque vocent in dubium.*

Magna igitur labes eſt veræ Religionis ipſa fidei myſteria proprio ſenſu ac ingenio temerè ſcrutandi ac dijudicandi,inconſulta curioſitas.

Vt proinde hîc locum invenire poſſit, quando ejus nùnc mihi venit in mentem, illa quæ olim in Belgio,familiari inter nos ſermone ferebatur, uti appellabant, vocis *Curioſus* declinatio : quæ, etſi in ſpeciem levior & ludicra videatur; quia tamen; quibus quaſi gradibus ad extremam hoc in genere nequitiam, tandem dilabatur infelix anima,ingenioſè oſtendit;fortaſſis arridebit nonnemini,ſi hiſce chartis inſeratur.Ita igitur habet.

Nominativo : *Curioſus*. Genitivo : *Dubitantis*. Dativo:*Pertinaci*. (malim ego,*Erranti* adhuc ſcilicet ſine pertinaciâ,quæ jam hæreſim conſtituit) Accuſativo:*Hæreticum*.Vocativo,ô *Politice*.Ablativo:*ab Atheo*.Plurali: *Maleficia maleficiorum.*

Quò ſignificatur,Atheiſmum, fontem immò & abyſſum,eſſe omnis ſceleris ac nequitiæ,ſecũdùm quod de his in extremo gradu inſipiẽtibus,Pſ.52.

ſcriptum

Ecclesia prohibitum esset; quòd ea quæstio indifferens sit, & cuique liceat utramvis partem tenere, neutram autem disputando impugnare. Cùm tamen clarum sit, eo in decreto, Pontificem agere contra quosdam, reipsa Averrois, potiùs quàm Christi discipulos, qui nempè auderent asserere, quod Anima Rationalis mortalis sit, aut unica in omnibus hominibus, idque saltem secundùm Philosophiam verum esse; atque ab eo expressè damnari, ut hæreticos ista asserentes, aut in dubium vertentes, sive in favorem istorum errorum disputantes; non autem (quod facit ibidem ipse Pontifex) eos ex scriptura aut ratione refellentes.

Pari autem, aut etiam majori malignitate, ait in Colloquiis Germanicis cap. *de Antichristo*: in eodem Concilio, primùm cognitum & decretum esse, credendam mortuorum resurrectionem.

Quasi is articulus non fuisset semper in Ecclesia creditus, velut contentus in Symbolo Apostolorum: aut, quasi aliquid, eo in decreto, Leonis, non, ut ait, Iulij II. (qui jam obierat) aliquid novè de illo constitutum esset: cùm istic duntaxat Pontifex inter alia, exinde probet animæ immortalitatem, quòd alioqui, nec resurrectio mortuorum expectanda foret, & Sancti ac justi miserabiliores essent (juxta Paulum) omnibus hominibus.

Ex quo insulsus & impudens veterator, fabricarit illud præclarum suum commentum, de tunc primùm cognitâ ac decretâ fide resurrectionis.

Idem

Idem Lutherus lib.de Conciliis, aperto mendacio imponit S.Hieronymo; quòd lamentabilibus litteris scripserit ad Damasum, cupiens expungi vocem Homoousion: cùm legenti manifestum sit; de ea voce nusquam dubitasse Hieronymum; sed tantùm an dicendæ essent tres Hypostases, Sedem Romanam consuluisse.

Eâdem insolenti audaciâ in Colloquiis Latinis eodem cap. *de damnatione & inferno*, negat Augustinum, quicquam habere de Purgatorio &c. cùm tamen si quis Patrum frequentissimè, illud adstruat Augustinus. Videri potest lib.2. de Gen.contra Manich.c.20. in ps.37. lib.21. de Civit.c.16. &c. Eâdem, ad librum Ducis Georgij &c. asserit Papistas docere; *posse hominem propriis viribus sine gratiâ Dei, mandata servare.*

Quibus affinia sunt illa Melanchthonis primarij ejus discipuli; in disp.de pœnitentia, affirmantis, stultè & impiè docere Scholasticos; *peccata remitti per contritionem sine fide*. Rursumque in Apologia cap. *de numero Sacramentorum*; ex eorundem assertione *Sacramenta nova legis, conferre gratiam ex opere operato sine bono motu.*

Idem Philippus in eadem Apologia, cap.de invocatione Sanctorum, negare ausus est, Scriptores ante Gregorium, illius meminisse. Cujus oppositum adeò evidens est ut Kemnitius, apud Brerleium Tract.1. sect.3.§.7. agnoscat, saltem circa annum Domini 370. eam per Basilium, Nyssenum, & Nazianzenum in publicos Ecclesiæ conventus introduci cœptam. Et Centuriatores ibidem, eandem, Origeni, & Cypriano, etiam

etiam illis antiquioribus attribuant.

Tandem ipse Lutherus atque Philippus, à Tannero relati, ubi de peccato Originali; affingunt Augustino, quasi dixerit: peccatum in baptismo remitti, non ut non sit, sed ut non imputetur. Quod nõ de peccato, sed de cõcupiscentia dixit Augustinus lib.1.de nuptiis & concupiscentia.

His adjungi possunt mendaces istius Pseudoprophetæ prædictiones, quarum plures refert Ioannes Tannerus noster disp.1.de fide quæst.2. n.86. & hanc inter cæteras; quòd Tomo 2.Ienensi Germanico fol.69. ariolatus sit: si à se suisque duos adhuc annos novum Pseudo Evangelium prædicetur; futurum, ut *tanquam fumus evanescant Papæ, Episcopi, Cardinales, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Campanæ, Patres, Missæ* &c. Cum tamen, ut idem observat, post hoc vaticinium anno 1522.editum, annis 24.superfuerit, & Evangelium suum prædicaverit Lutherus, & tamen adhuc incolumis stet Papatus, Cardinales, Episcopi, &c.

Qui rursum pari insolentiâ ac temeritate idipsum prænuntiavit, scribens his verbis ad Regem Angliæ: *Dogmata mea stabunt, & Papa cadet invitis omnibus portis inferi, & potestatibus terræ ac maris. Instat enim mors Papatus abominabilis: urget eum, ineluctabile suũ fatũ, ut Daniel ait, ad finem sui venit, & nemo auxiliabitur ei.*

Quarum prædictionum vanitatem, non solùm convicit eventus dictis contrarius; sed ipsius quoq; illorum autoris, aliis in locis effata opposita, quo Spiritu afflatus priora illa effuderit, manifestiùs ostendunt.

Sic enim ſcribere, & quaſi ominari viſus eſt, in locis communibus Claſſe 3. pag.40. *Timeo quòd iſta doctrina nobis extinctis iterum obſcurabitur.* Et rurſum: *Si noſtra Eccleſia pulcherrimè inſtituta &c. Sic ſubverteretur, ut me ampliùs doctorem ſuum agnoſcere non vellet, id quod* (inquit) *aliquando fiet, ſi non viventibus nobis, tamen ſublatis.* Et Claſſe 2.pag.53. *legis uſus, ut timeo, poſt tẽpora noſtra, iterum obſcurabitur, & prorſus obruetur.* Hæc ille.

Quæ quomodo conſiſtant, cum illa adeò fortiter affirmata denuntiatione, & thraſonica jactantia: *Dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis inferi,* &c. aveo ex illis intelligere, qui ariolum iſtum, pro Summo Propheta habent, & tantùm non adorant.

Quid ſi addamus ejuſdem Lutheri expreſſas voces, deſpondentis animum, deque eo jam deſperantis, quod brevi futurum tantâ aſſeveratione denuntiaverat? Ita enim eum audias loquentem in Colloquiis, Titulo de Bonis Eccleſiaſticis, *Conamur Papam & Epiſcopos extirpare; ſed fruſtra ſumus, nihil proficimus.*

Vt proinde in ipſum Lutherum meritò retorqueas, quæ ipſe relatâ haud abſimili Zuinglij prophetia, in ipſum intorquet, apud Gretſerum libro primo; contra replicatorem cap.3. ubi ſic de Zuinglio Lutherus: *Publicè clamavit*, inquit: *Nihil nos moretur; perrumpamus.* Videbitis *in triennio Hiſpaniam, Galliam, & totam Germaniam* &c. *Evangelio lucrifactam. Sed hac ſuâ ficta victoriâ ſe ipſum confudit, & ſcandalis Evangelium deformavit.* Sed

Tomo 2 Latino Colloq. ti. de Adverſariis fol. 36.

Sed neque ſinceriorem aut veraciorem eundem Lutherũ videas, in divulganda quadam, de ſuo in orbem adventu, præclara ſcilicet prophetiâ; quam in gratiam curioſi Lectoris, non gravabor hîc apponere.

S. Ioannes, inquit Lutherus in Gloſsâ adverſus edictum Imperiale, *de me prophetavit*. Vbinam putas, Lector amice? An fortè in Apocalypſi cap. 9. ubi S. Ioannes deſcribit genus quoddam locuſtarum exeuntium de fumo putei abyſſi, habentium faciem ſicut hominum, & capillos ſicut mulierum; itemque loricas quaſi ferreas; *& vox alarum earum, ſicut vox equorum multorum currentium ad prælium*; & habebant caudas ſimiles Scorpionum, & Regem ſuper ſe, cui nomen, *exterminans*.

Quibus graphicè deſcribi hæreticorum ſectas, & nominatim Lutheranam, facilè perſpiciet, qui hæc attenderit. Primùm enim hæreticorum eſt, ſemperque fuit, proprium, vultu blando atque pellaci, qualis ſolet eſſe mulierum, conciliare ſequaces ſuos, prætentâ exempli gratiâ, Reformatione Eccleſiæ, puritate Evangelij, Chriſtianâ libertate &c. Ad extremum autem habere in caudâ, Scorpionum aculeos: quia, ut verbis utar Commentarij in Apocalypſim, adjecti operibus S. Ambroſij, de Antiquis Hæreticis tradentis, quæ in recentiores perappoſitè conveniant: *Hæretici, qui propter notitiam Scripturarum, Prophetas ſe* eſſe æſtimant, *non inconvenienter caudis Scorpionum aſſimilantur. Quia eorum* doctrina *falſa* erat *& venenoſa. Vnde & aculeos in caudis habuiſſe dicuntur: per*

aculeos namque blaſphemiæ, quas in divinis Scripturis intermiſcebant, deſignantur.

Quod quidem in Lutherum ritè quadrare manifeſtum eſt: quem tot blaſphemias divinis ſcripturis intermiſcuiſſe, partim oſtendimus, partim ampliùs aliàs videbitur.

Porrò Loricæ quaſi ferreæ, & vox equorum currentium ad prælium portendit novarum hæreſum rebellionis ſpiritum, & arma ſumpta adverſùs legitimos Principes, & quintum Evangelium, non tam verbo, quàm ferro propagatum.

Quo inter alia pertinet illud Lutheri claſſicum, Tom. 2. Ienenſi Germanico, fol. 132. *Quicũque opem ferunt, corpus, bona, & famam impendũt, ut Epiſcopatus devaſtentur, & Epiſcoporum regimen extinguatur; hi ſunt dilecti filij Dei, & veri Chriſtiani, obſervantes præcepta Dei*, &c.

Rectè igitur in Lutherum cadit hæc Prophetia. Veruntamen iſta de ſe prædicta non agnoſcet ipſe Lutherus, nec vero nomine Sancti Ioannis, quod primâ fronte videri poterat, intelligit iſtic dilectum Domini diſcipulum, ſed alium toto cœlo diverſi ordinis, ſive categoriæ ſanctum; Ioannem Huſſum videlicet, quem veluti ſuæ Religionis martyrem agnoſcit; cùm tamen de eo, expreſſis verbis ſcribat in Colloquiis Germanicis capite de Antichriſto: *Papiſtæ Ioannem Huſſ, cùm is ne latum quidem unguem à Papiſmo diſcederet, combuſſerunt.*

Sed quidquid de hoc ſit, audienda tamen eſt præclara illa Prophetia. Sic igitur Lutherus: *Sanctus Ioannes de me prophetavit, quando ex carcere,*

carcere, Constantiâ in Bohemiam litteras misit. Nũc assabunt quendam anserẽ; (Huss enim anserem dicunt) & post centum annos, audient cantantem quendam cygnum, quem pati debent. Sic ille:

Attamen, ut hanc prophetiam brevi commẽtario illustrem. Inprimis observo, Iudocum Coccium, virum in hæreticorum scriptis versatissimum disertè tradere; nusquam hoc legi in epistolis Hussi.

Deinde, satis mirum videri: potuisse Lutherum præsumere, hæc de se ab Husso prænuntiata, aut omnino illũ pro Sancto Propheta habere. Quando, ut insinuavimus ex Luthero, & expressiùs tradunt Protestantes alij; Ioannes & transsubstantiationem in Eucharistiâ admiserit, & Primatui Papæ faverit, & iustitiam operum agnoverit: Luthero interim contra Regem Angliæ fortiter pronuntiante: *Impium esse, & blasphemum, siquis dicat, panem transsubstantiari. Catholicum autem & verè pium, qui contraria docuerit.*

In qua videlicet dogmatum primariorum dissensione & discordiâ; non apparet, quomodo, aut Lutherus Hussum, pro Sancto & verè pio; aut Hussus Lutherum, pro candido & canoro olore; & non potiùs pro corvo nigerrimo; ac ferali bubone, habere potuerit.

Et sanè, si ex cantu avis dignoscitur, blasphemiæ tuæ, Luthere, quantumvis in eá oloris appellatione te ames, non te cœli volucrem, aut avem Paradisi, ostendunt, sed infaustam avernalemque strigem manifestè demonstrant.

Porrò, ut à Luthero, ad ejus sectarios deveniã: centurias Lutheranorum Magdeburgensium plu-

ribus ſcatere mendaciis, variis oſtendam occaſionibus. Relatu dignum eſt, quod Tomo 1. Inventarij Pleſſæani cap.1. obſervat noſter Fronto Ducæus: Prædictos nimirum, Magdeburgenſes c.8. centuria 4. columna 602. cum S.Hieroymũ nimiæ in ſcribendo acerbitatis accuſaſſent, ſplẽdido mendacio, hoc ſubjicere: *Id quod etiam Gregorio viſum eſt: qui de ſcripto Hieronymi contra Vigilantium, ita cenſuit: In Vigilantium ita debacchatur Hieronymus, ut pluſculum in eo modeſtiæ cogar deſiderare.* Quæ tamen verba, ut obſervat Ducæus, nullius Gregorij, neque Romani, neque alterius cujuſquam, S.Hieronymo poſterioris, ſed ipſiſſima ſunt Eraſmi Roterodami; in argumento libri contra Vigilantium, expreſſa. Tametſi animadvertam, doctiſſimum Baronium, ad annum Domini 406. n. 51. non adſcripto loco ſimilia verba S. Gregorio attribuiſſe.

Vt jam particulatim non exaggerem, tot ſcriptorum mendaciſſimorum turbam, confictaſque monſtroſiſſimas fabulas, quibus iſti homines ſibi adverſantium Catholicorum famam lacerant, id jam à principio in illis obſervante atque damnante ipſo Deſiderio Eraſmo: cujus hæ voces ſunt, ſcribentis ad comitia Helvetica: *Quod apud Ethnicos erat capitale facinus*, (nimirum libros famoſos conſcribere) *nunc quorundam ludus eſt, qui ſibi videntur Evangelicæ doctrinæ propugnatores.*

Neque rurſum illa, quæ de profano ſuo pulpito in eoſdem intorquent probroſa convitia, & (qui alter iſtorum ludus eſt) ſacrorum hominum

hominum deridiculas portentosasque descriptiones; quas populo simplici atque credulo eâ gratiâ insinuant, ut cùm hi istorum personas oderint, consequenter & doctrinam aversentur.

Quò non ægrè adducar, ut credam quod Tractatu 5. Theologo-Iuridico cap. 23. n. 119. per occasionem scripsit, vir istarum rerum experiens, Georgius Gobat è nostra societate: Videlicet, *hæresim Lutheranam Calvinianamque majora incrementa accepisse, à putidissimis mendaciis scelestissimisque fabulis, quas de Pontificibus Romanis, Cardinalibus, Clero, Monachis, Iesuitis comminiscuntur Ministelli, quàm à falsa interpretatione divinarum paginarum.*

Quam in rem memorat, quod hîc non gravabor adscribere: Multa istîc societatis Collegia, experta esse à Suecicarum copiarum ductoribus ea occupantibus, humanitatem tantam, quantam vix ab amicis: eâ nempe de causa, quòd ipsorum in Suecia Ministri, Iesuitas tam fœdis coloribus depingere consuessent, ut jam non homines, sed hominum monstra crederentur; quorum è diverso morum integritatem, honestatemque conversationis ipso experimento comprobantes, conceptum odium jam in amorem verterent; sese à suis tam fœdè delusos indignati.

Et quando in hunc locum Iesuitarum incidit mentio: siquis aggeratam mendaciorum struem, quæ adversarij, sive illorum doctrinæ, sive moribus imponunt; velit ob oculos legentium exponere, multorum profectò magnorumque, voluminum res sit.

Perlepidum istud est, ut pauca duntaxat, speciminis gratiâ proferam: quod Rogerius quidam Protestans, in Doctrinâ Ecclesiæ Anglicanæ, refert: in Cathechismo Iesuitarum, (authentico scilicet opere) libro 1. cap. 10. haberi: *Non feminarum, sed virorum Christum esse Redemptorem: mulieres verò salvari per quandam nomine Ioannam.* Haud dubium, quin per Sanctam Ioannam, vxorem Chusæ, Procuratoris Herodis: ut cujus solius Ioannæ mulieris, mentio habeatur in sacro textu.

Magis seriò delirat Confessio Mansfeldica, capite de Erroribus Iesuitarum, Vbi: *Error*, inquit, *secta Iesuitica est: quod Christus, etsi mediator & intercessor noster fuerit, nunc tamen non sit ampliùs: sed jam solos sanctos, intercessores esse & mediatores nostros.* Quod à nobis tradi, nemo credet, nisi qui nos non norit, aut affectatè oderit.

Audiatur postremò Eliardus Lubinus Lutheranus, Iuvenalis interpres, relatus à Daniele Bartoli, in Historia Societatis, quæ ad Italiam pertinet, Parte 1. l. 2. c. 14. qui nempe Grammaticus eo nomine, quòd Iuvenalis satyras iuventuti nostræ prælegendas ab obscenitate expurgassemus, tragicè in nos excandescens; cùm illud à nobis eâ gratiâ factum dixisset, quòd sceleratissimam vitam nostram iis satyris velut in speculo expressam non sustineremus; eo denique societatem nostram Virgiliano exornat elogio: *quâ non immanior ulla pestis, & ira Deum stygio sese extulit orco.* Quippe, quæ (ut ait) ex quo in orbe comparuit, ex eo pietatem, fidem, sancti-

tatem

tatem, virtutem omnem, & omne bonum exterminarit. Cui elogio, seu confirmando, seu exornando attexi possunt, complura alia eiusdem furfuris Epitheta, quæ ex variis sectariis collecta, in hanc seriem digessit Becanus noster, in Aphorismis Calvinistarũ; Aphorismo 10. *Iesuitæ sunt blasphemi monachi, impuri Spiritus, membra diaboli, turbatores pacis, inimici Regum, seductores patriæ, corruptores iuvẽtutis, sicarij, proditores, progenies viperarum* (addi potuit ex Beza, *locustæ, Iesu nomen ementientes*) *cauda Antichristi*, &c.

In quo quidem postremo (si istorum ingeniorum acumen utcunque assequor) id mysterij latere existimem: quòd cùm Papam Romanum, dementer ac stolidè pro genuino Antichristo habeant; eius nos caudam appellitent, propterea quòd; ex speciali instituti nostri ratione, nos ei præsertim addictos esse intelligant, & verò fortassis, plusquam ipsis expedit, sentiant.

Quò spectat, quod Paræus Calvinista, in oratione de strophis Iesuitarum; adversus Ecclesiam Catholicam, majori strepitu, quàm effectu, classicum inflans: *Nunc omnia arma*, inquit, *tela, signa & acies concitandæ sunt, in Antichristum Romanum, eiusque primipilares* ϖ ϱομάχς *Iesuitas*: (quam ille voculam ex Atticâ suâ pharetrâ deprompsit, honoris nostri gratiâ, quò expressiùs significaret, nos in exercitu, contrario, esse veluti Antesignanos, & in primâ acie pugnare. A quibus, quàm sibi suæque religioni timent, pergit ostendere, dum addit: *qui ante fores*

res

res commune exitium omnibus Ecclesiis machinantur. Sic ille.

Sed quidquid de hoc sit: velim eiusmodi blaterones semel intelligant; ea nos maledicta, & tamquem probra, quæ ignominiæ gratiâ in nos jactitant, ea, inquam, nos non opprobrij loco, sed magnæ gloriæ ducere: ut quibus modestè, & proportione quadam, usurpare liceat, quod assimili in causâ, contra Petilianum cap. 16. de se ipse scripsit Magnus Augustinus: *Non sanè parva est, parumque gloriosa consolatio cuiuscunque nostrûm, si ab inimicis Ecclesiæ, cùm ipsâ Ecclesiâ criminemur*. Cui addi potest, quod ad ipsum Augustinum scribens Hieronymus, ep. 25. inter Augustinianas: cùm illa præmisisset: *In orbe celebraris: Catholici te venerantur atque, suspiciunt*; ad extremum addit: *Et, quod signum majoris gloriæ est; omnes hæretici te detestantur*.



CAPUT XIX.

Idipsum traditur de Calvinistarum spiritu.

QVod jam de Lutheri Lutheranorumq; spiritu demonstravimus, eúm videlicet sanctum ac divinum non esse, ex eo quòd sit spiritus mendax; id pariter modò de Calvini & sequacium spiritu specialiter ostendendum est.

Quo in argumento; illud, nec injustè, quantum apparet, præmitti posset: si qua Lutheri; ipsorum

ipsorum Patriarchæ, apud Calvinianos sit autoritas, (quam equidem magnam esse oportet, ipso Calvino atque Beza, illum pro insigni Christi Apostolo agnoscentibus) causam, quam tractamus, jam præjudicatam atque evictam esse: quandoquidem ut suprà vidimus, ille primus Germaniæ, ut aiunt, Apostolus, in hæc verba disertè pronuntiet: *Spiritus Calvinistarum, est diabolicus spiritus, mendax spiritus, rebellionis & dissensionis spiritus.*

Et sanè qui Bezam audiat, in responsionibus ad Claudium Sanctesium, verbis adeò exaggeratis Lutheri spiritum commendantem: *Lutherus eximium est Dei organum, toto ore* (id est in omnibus quæ proloquitur) *divinitus inspiratum, in quo* (subdit) *qui spiritum Dei non sentit, nihil sentit*: exinde consequenter inferet, etiam istud, quod protulimus, ut profectum ex Dei spiritu, pro vero ac certo suscipiendum. Ex quo utrimque fiat, mẽdacem habendum eum Calvinistam, sive mendaciter, sive ex vero, in hunc modũ de Luthero scripserit.

Verùm hac quasi velitatione prætermissâ: juvabit potiùs, partim ipsis factis atque exemplis, partim ipsâ eorum, cõtra quos agimus confessione, rem omnem conficere.

Quo loco in-primis producere placet decumanum, ut ita appellem, Calvini mendaciũ: quando nempe, cæco in sedem Romanam odio abreptus, neq; animadvertens, quantam eo pacto existimationi causæve suæ labem inferret, non veritus est, veluti rem certam exploratamque sibi, scribere; *apud Romanos Pontifices eum pridem vigere arcanum sensum: ut nullum Deum, nullũ Christum, nullã* *resurre*

resurrectionem esse, persuasum habeant. Verba eius in l.4. inst. c.7. §.27. esse sunt ista.

Quasi verò dubium sit, qualem religionem sint iam pridem professi Pontifices, cum toto Cardinalium collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput est; nullum esse Deum. Alterum; quæcunque de Christo scripta sunt & docentur, mendacia esse & imposturas. Tertium: doctrinam de vitâ futurâ, & ultimâ resurrectione; meras esse fabulas. Iam pridem hæc ordinaria cæpit esse Pontificum Religio.

Et ista quidē mendacissimo calamo Calvinus; Quæ tamen, veluti & per seipsa incredibilia, & iis quibus perspecta esset Curia Romana, manifestè falsa, cùm animadverteret se orbi persuaderè non posse; infelice astutiâ adiunxit; hanc esse *arcanam* istius curiæ *Theologiam*; quam nimirùm ipse, cæteris utique oculatior, introspexerit, ac certò & indubitatè deprehenderit.

Sed quid jam miremur, quantumvis indigna de Romana sede, ipsoque Pontifice ab iis impudentèr vulgari; qui illum esse Antichristum habeant pro articulo fidei.

Sed pro ipsâ Calvini impudentia luculentiùs demonstrandâ, placet per occasionem eas proferre, probrosissimas & mendacissimas appellationes, quibus augustissimi Concilij Tridentini Patres integerrimos ac sapientissimos, quos erroribus suis adversantes experiretur, sparsim insignire dignatus est; quas ita proponit idē Becanus Tom: 1. Opusculorum; op.4. in præfatione ad lectorem:

Calvinus in antidoto Concilij Tridentini, eius Concilij

cilij Patres vocat: Tridenticolas, sub Neptuni auspiciis militantes, indoctos, stupidos, quisquilias, asinos, porcos, pecudes, crassos boves, Antichristi legatos, Christi hostes, otiosos ventres, mēdicabula, putrida cadavera, silicernia, Blaterones, Patres cornutos, Tridentinam colluviem, exitialia mōstra, degeneres ac spurios, Romanæ fidei, id est, magnæ meretricis filios, emptitios monachos, Patres ad sesquipedem auritos. Ita Calvinus. Bellè, præclarè.

Atq; ista interim tam indecora dicacitas, adeóq; projecta audacia, quæ ne à vilissimo quidē scurra, adversus tantæ autoritatis viros, expectanda, aut toleranda esset, ab ejus tamen sectariis, digna germano Christi Apostolo, atq; ab intimo Dei spiritu orta, & eructata, censetur.

Eôdem faciunt mendaces illę calumniæ, quibus Papistas insectantur assiduè; veluti meros idololatras, & (quod subinde addunt) paganis ipsis deteriores; quòd nempe in Eucharistiâ, panē adoremus; cùm tamen, non in panē, sed in Christum quē adesse credimus, nostra feratur adoratio: vel sanctos ipsos, aut etiam Romanum Pontificē, pro Christo aut Deo colamus: cùm manifestum sit, illos quidem tantùm, ut Dei amicos, & hunc ut Christi vicariū; neque iam latriâ, quæ soli Deo debita est, sed cultu quodā inferiore, à Catholicis honorari.

Sic enim mentitur Calvinus in 1. ad Timotheū c. 3. Ecclesiam Romanam hactenus docuisse cultum Idolorum, & Christo abnegato, hosti eius Antichristo militasse. Et *lib. de Reformatione Ecclesiæ*; Papistas, non solùm sanctos loco Christi adorare, sed etiā eorū ossa &c. Quibus addi potest, quod è Lutheranis Lucas Osiander in Epitome, centuriâ

centuriâ 11. de Sanctissimo Præsule Malachia, non erubuit scribere : *Superstitiones Pontificias amplexus , Romanum Pontificem pro Deo coluit.*

At mendacia mendaciis cumulans Gabriel Povellus , in libro de Antichristo , fronte perfricta , Catholicos fingit ista sentire & tradere. *Primùm quod Papa possit dispensare contra novum & vetus Testamentum. Deinde quod possit creare , seu aliquid ex nihilo producere. Rursum quod Sacramenta à Christo instituta, mutare possit quoad eorum substantiam. Postremò : quod maius peccatum sit comedere carnes die prohibito, quàm adulterium committere.*

Sed ne plura cogar ejusce rei exempla congerere , facit quod jam addo : ex ipsa Calvini discipulorum confessione haberi ; quod in negotio Religionis , illicitum non sit fraude vti , aut mendaciis eandem protegere.

Sic enim in-primis Theodorus Beza in Colloquio Mombelgartensi (quod editum extat) apertè professus est : *Licitum esse fucis , fraudibusque ac mendaciis fidem tueri.*

Britannom. l.1.c.11.

Testaturque etiam in responsione ad Robertum Abbatum Doctor Bistropus , apud Henricum Fitzsimon , quendam Ministrum Anglum disertis verbis edixisse : *Fidei propagandæ causâ , non posse sufficienter mentiri.* Atque à Brerleio citatus Osiander,Centuria 16. audacter ait: *Hanc maximam seu regulam habere Calvinistas: licere pro gloria Christi mentiri.* Sic illi.

Sed efficax sanè,nec omittenda , Iacobi Regis , Magnæ Britanniæ in libro quem

quem inſcripſit Βασιλικὸν δῶρον de ſuisPuitanis autoritas: ubi; *Teſtor*, inquit, *coram Deo Opt. Max. nunquam te experturum plura & deteriora mendacia, quàm apud hos fanaticos Puritanorum Spiritus.*

Et quando nunc de Anglis agimus, non verebor per hanc occaſionem, quod à quodam è Noſtris Patribus Anglis, viro integerrimo, eam in rem accepi, Lectori meo proponere.

Referebat ille Nobilem quendam, qui jam deſtinarat, fidei ſe Catholicæ reddere, etſi id nondum palam profiteretur, cùm Oxonij (quantum memini) Miniſtri cujuſdam concioni interfuiſſet, apertis refertæ adversùs Catholicos mendaciis, ſubinde ipſum Epiſcopú adijſſe officij gratiâ, & inter cætera, eâ ipsâ de re eſſe conqueſtum: quòd ſiquis Papiſta eandem concionem audiſſet, meritò potuiſſet, hominis impudentiam retundere.

Porrò Epiſcopum ſubridentem, ei reſpondiſſe: Non eſt, quòd hoc tibi mirum videatur, Domine mi. Noſtra enim Religio, ſicut per mendacia ortum habuit, ita mendaciis confoveri, debet, & conſervari.

Egregiè, ſcitè, perdoctè; & perinde atque ſi ad illud Philoſophi reſpiceret; libro 8. Hiſtoriæ animalium cap. 1. §. 7. dicentis: *incrementum quibuſque, ſecundùm naturam, ex eâdem quâ conſtiterint, materiâ fieri.*

Vt vel hinc videas, hac etiam in parte, in hos recentiores immigraſſe veterum Hæreticorum ſpiritum; *apud quos*, ut ſcribit Sanctus Irenæus libro 1. cap. 15. *Perfectus habetur nemo,*

niſi

nisi qui maxima mendacia fructificaverit. Ita ille, ut eum appellat Tertullianus, *omnium doctrinarum curiosissimus explorator.*

Contra Valentin. c. 5.

Ex quibus omnibus meritò inferatur denique, sectariorum spiritum, non veritatis esse, sed mendacij: ac proinde non esse à Deo; sed ex eà classe, cuius erat ille, qui 3. Regum cap. 22. de se professus esse legitur: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.*



CAPUT XX.

Et olim, & modò, usitatum esse Hæreticis, ipsum Scripturæ Divinæ Textum, ad usus suos variè corrumpere atque adulterare.

MOmenti plurimum (attende, obsecro, Lector benigne) eo in argumento, quod tractatum imus, ad destinatos nobis fines, positum est. Eâ nempè de causâ; quoniam si illud quod pollicemur, evicerimus; hoc ipso manifestum fecerimus; adversarios nostros, in re ad salutem æternam pertinente, sceleste impiéque procedere; aut in eo sanè ab ipso Satana miserè illudi; ad extremum denique, dum divinas Scripturas ad sensum suum vel invitas student pervertere, non eas reipsa ut fidei regulam, sed animi sui anticipatam persuasionem sectari; atque adeò easdem (Augustini verbo) *ad speciem, non ad salutem tenere.*

l. 3. contra Donat. c. 19.

A

Atque ut hinc ordiar: usitatum fuisse jam ab initio primævis hæreticis; ut quamvis & ipsi, præter scripturas, nullam aliam credendi regulam agnoscerent, siquid tamen in illis, suis erroribus adversum deprehenderent; *id vel detractione, vel adjectione, vel transmutatione* (familiari Tertulliano phrasi) *remediarent*: expressè nec semel tradit is autor, in libro *de Præscriptionibus*. celebris est illa, ex eius libri capite 17. desumpta sententia; in qua, si attendas, & recentiorum hæreticorum genium (uti ferè inter se moribus congruunt) tanquam in speculum, possis inspicere.

Ista hæresis (inquit perantiquus scriptor) *non recipit quasdam scripturas; & siquas recipit adjectionibus, & detractionibus, ad dispositionem sui instituti pervertit: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones, commentata convertit. Tantùm veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.* Hoc ille præclarè: Quibus paria invenias apud Clementem Alexandrinum eiusdem ævi scriptorem. *l. 7. Strô. c. 9.*

Nominatim autem ibidem, & alibi, eam perversam artem Marcioni Pontico imputat idem Tertullianus; quòd nempe *scripturas opinioni suæ resistentes, de industriâ alias rejecisset, alias corrupisset*; ad idque (ut loquitur loco laudato) *non stylo, sed macharâ, exertè & palam usus sit*; quoniam videlicet, enormi quadem truncatione, *ad materiam suam, cædem scripturarum confecerit*

Eodemque facit ironica illa & subamara eiusdem approbatio: *Circumspice, Marcion, si tamen non delesti: stulta mundi elegit Deus &c.*

Porrò Marcionitas subsecuti Manichæi, & ipsi quasdam scripturas non recipiebant, cùm saltem testamentum vetus ex toto rejicerent; & quas recipiebant, non recipiebant integras; non hoc sensu fortassis; quòd eas ut Marcionitæ fœdè truncarent (tametsi tale quidpiam videri possit innuere ipse Augustinus; dum libro de utilitate credendi cap. 2. ait, *illos scripturas discerpisse atque dilaniasse*; & expressiùs Titus Bostrensis statim citandus.) Sed quòd, ubi quicquam sibi adversum in scripturis sanctis, deprehenderent; qualia complura stultissimæ hæresi necesse erat occurrere; id à nescio quâ malâ manu intrusum esse contenderent, & fatuâ audaciâ, seu, ut Augustinus, *privilegio quodam diabolico*, ad ipsam divinam scripturam pertinere negarent. Sic enim salsè aptéque is S. Doctor libro contra Faustum 22. c. 15. quoddam quasi *privilegium diabolicum* ad id Manichæis competere innuit: *ut quidquid est in Evangelio, vel in epistolis canonicis, quo adiuvari hæresim suam putent, id esse à Christo, & Apostolis dictum teneant atque suadeant. Quidquid autem ex eisdem codicibus adversus eas sonuerit; immissum à falsatoribus, ore impudenti ac sacrilego non dubitent dicere.* In quem fortè sensum l. 2. contra illos scripserit Titus Bostrensis, etiam Augustino antiquior autor; Manichæos *divinis litteris adscripsisse quæcunque voluerunt, & detraxisse, quæcunque voluerunt.*

Attamen quod *diabolico spiritui* loco citato S. Augustinus, id ipsi peculiari Spiritus Sancti suggestioni assignabant, dicentes, *sibi Paracletum, quid crederent, & quid respuerent demonstrasse.*

Quam

Quam in partem obiter observes, consimilem mentem, paremque Spiritum, illinc Manichæorum, hinc nostrorum Calvinistarum; vtrisque profitentibus, sese interiori privataque divini Spiritus suggestione discernere in scripturis sanctis, quid sibi credendum, quid respuendũ sit: hoc tamen discrimine, quòd illi somnient, se interiore suo spiritu detegere, quid in illis legitimum, quid autem intrusum sit: hi verò, quis cujusvis loci sensus legitimus, quis alienus agnoscendus. In quo quanquam manifestior sit Manichæorum stultitia, utrobique tamen par periculum, eademque errandi licentia: quando in utrisque perinde valeat, quod adversus priores lib.32.c.19.his verbis intorquet Sanctus Augustinus: *Videtis id vos agere, ut suus cuique animus autor sit, quid in quaque scriptura probet, quid improbet.* Proprius nimirum cuique sensus speciosâ illâ, sed prorsus fallaci, suggestionis divini Spiritus umbrâ, prętextuque, velatus. Ita enim sese magis explicans subdit S. Doctor. *Id est, ut non autoritati scripturarum subjiciatur ad fidem; sed sibi scripturas ipse subjiciat: non ut ideò illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi autoritate scriptum legitur, sed ideò rectè scriptum videatur, quia hoc illi placeat. Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis involuta: quò te committis?* Sic Augustinus.

Postremò ne longum faciam, solùm his addo ex veteribus tum Arianos. De quibus agens Ambrosius lib.2.de fide cap.4.in fine; eos facit Antichristo similes: *quia,* inquit, *Filio Dei*

derogant, nec martyribus pepercerunt; & quod fortaßè ille non faciet (Antichristus uti que) *Scripturas falsavere divinas.* Cujus rei exem plum adfert libro 3. de Spiritu Sancto cap.11. erasisse has voces: *Quoniam Deus Spiritus est.* Ioan.4. Tum Nestorianos: de quibus Socrates libro 7. hist.cap.12. *Omnes*, inquit, *qui divinitatem ab humanitate Christi sejungere studebant; hanc sententiam (omnis Spiritus qui solvit Iesũ* 1.Ioan.4.) *ex vetustis exemplaribus delere non dubitarunt.*

Ostendamus modò, veterum Spiritum transiisse in Recentes Hæreticos; eosque sibi privilegium illud (quod diabolicum appellet Augustinus) haud dissimulanter usurpasse.

Quòd quidem in-primis de Luthero recentiorum hæresum primo autore, & (uti Arium appellat alicubi S. Ambrosius) adversus Petri navim *Archipirata*; manifestum est.

Lib. de Salom. c.4.

Quippe, qui ut sese & pictorem & fictorem ostenderet, Scripturas divinas, uti suprà loquentem audiebamus Tertullianum *adiectionibus & detractionibus, ad dispositionem sui instituti pervertit:* cujus utriusque formæ seu modi, necesse est quædam exempla subjicere.

Et adjectionis quidem, pervulgatum illud, & passim notum: quod ad illa verba Pauli Rom.3. v.28. *arbitramur hominem justificari per fidem, sine operibus legis*; in Bibliis suis Germanicis, sacrilegâ audaciâ, addiderit vocem *solam*; quò nempè præclaram illam, & ut doctrinæ suæ primum fundamentum, sibi prædilectam sententiam: *Hominem scilicet iustificari*

per

per solam fidem, apud fraudis ignaros firmiùs ac profundiùs stabiliret. Cumque à Catholicis de ejus loci falsatione accusaretur, impiâ quadam vesaniâ respondit; uti videre est Tomo 4. Germanico Vvittembergensi, editionis anni 1551. *Doctor Martinus Lutherus vult sic se habere; & dicit; Papistam & Asinum rem esse unam.* Et rursum: *Lutherus ita vult: & ait se doctorem esse super omnes Doctores totius Papatus.* Quibus relatis, verbis rectè subjungit Cornelius noster: *Audisti Luciferum Lutheri ore loquentem?*

Cujus audaciæ adeò eum non pœnituit, ut insuper dixisse feratur; pœnitere se, quod non addiderit etiam *omnibus & omnium*, ut ita expressiùs legeretur: *Arbitramur hominem iustificari per solam fidem, sine omnibus operibus omnium legum.*

E diverso autem, eâdem ex causâ, scripturæ loca, quibus commendatur necessitas, aut studium bonorum operum, detractione quadam, quoad potuit, enervare visus est. Vt cùm exempli causâ, in eo quod habetur 2. Petri 1. *Magis satagite, ut per bona opera* &c. in suis Bibliis omisit voces, *per bona opera.* Quæ etsi in Græcis communiùs non habeantur; tamen antecedens satagendi vox, necessarium videtur ad illa respectum importare.

Similiter in loco illo 1. Thessal. c. 4. *sanctificatione vestra, ut abstineatis vos à fornicatione*, postrema illa de fornicatione suâ autoritate expunxit. Rursumque in illo, ex capite 6. ad Ephesios: *ut possitis resistere in die malo; & in*

panis vivus; non autem ζωοποιῶν; quod esset *vivificus*. Vt hac nempè fraude, hunc locum eriperet Catholicis; inde arguentibus; panem quem Christus ibi promisit se daturum, in Sacramento Eucharistiæ videlicet, esse reipsa corpus Christi, & Christum ipsum, qui solùm appellari potest, panis seu cibus vivus, cùm ipsa symbola inanima sint.

Rursum ipse Beza alijque sectarij, verba illa, Actuum Apostolorum capite 15. versu 41. *præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum*, in sua versione omittunt: fortè ne quis inde adstruere possit traditiones Apostolicas; quas Catholici contra sectarios admittunt.

Addere liceat, universè loquendo, apud Sectarios nullam extare scripturæ versionem, quæ non, variorum ex ipsis confessione, multifariam perversa & inquinata sit. Quod operæ pretium erit, aliquousque demonstrari; ut vel hinc intelligant populi, quàm parum tuta sit, ipsorum fides, quæ reipsa non puro atque sincero verbo Dei, sed variè adulterato subnixa sit.

Quod quidem videns Galliæ sectariis, non sine causa quondam objecisse, Ioannem Armandum, tunc Episcopum Lucionensem, posteà Cardinalem de Richelieu, in sua præcipuorum fidei Catholicæ capitum, defensione: in quâ sic illos alloquitur. *Vestræ in scriptura depravationes adeò sunt perspicuæ, ut eas ne vestri quidem dissimulent.* Cuius rei testem profert in-primis Carolum Molinæum, hominem utique aliqua

sectarum aspersum fuligine : in sua translatione Novi Testamenti ita de Calvino loquentem.

Calvinus in suâ Harmoniâ, textum Evangelicum desultare facit, sursum, versum, ut res ipsa indicat; vim infert litteræ Evangelicæ, & illam multis in locis transponit; & insuper addit litteræ. Hæc Molinæus; verbo insuper addens, Bezæ versionem, de facto mutare textum. De quâ idem Cardinalis, hoc subdit Castalionis judicium, *in defensione suarum translationum* dicentis : *magno opus fore volumine; quo omnes eius (Bezanæ versionis) errores notarentur.*

Cujus è diverso criminationem, quàm bonâ mensurâ ac super effluente ipsemet Beza remensus sit; videre licet apud Decanum tomo 4. opusculorum; ubi refert Bezam in suis annotationibus, vicissim Castalionis versionem *falsam, ineptam, blasphemam, execrandam, erroneam, impiam, & à Spiritus Sancti sententiâ prorsus discrepantem*, indigitasse. Ita illi mutuò se scabunt.

Tract. 1 tit. 1. quæst. 5.

Addit denique præfatus Cardinalis : versionem Bibliorum Genevensem, Regi magnæ Britanniæ Iacobo in Colloquio Hamptoncuriensi, visam esse omnium deterrimam Qui interim simul agnoscens (apud Gaulterium) sæculo 17. capit. de Antipuritanis) nondum à se visa Biblia ulla in linguam Anglicam rectè conversa; statuit ibidem, ut alia ederetur versio, absque ullis ad marginem notis; quandoquidem Bibliorũ Genevensiũ notas invenerat *admodum partiales, falsas, seditiosas, nimiumq; redolẽtes animæ periculosæ ac perversissimæ, machinationes.*

Quid

Quid quod ipsi synodi Calvinianæ Dordracenæ Patres conscripti (teste Sandæo Tractatu de eâ Synodo, consid. 12.) versionem sacræ Scripturæ Belgicam agnoscunt scatere mendis? quia facta sit ex Germanica Lutheri malè intellectâ.

Quanquam & hanc, etiã prout oportet intellectam, infinitis scatere erroribus, demonstrent inter alios, apud Sandæum, Dictembergius, Emserus &c. Cùm interim eâ in versione ita se amet ipse Lutherus, ut cuivis alteri eam longè præferendam existimet. Ausus etiam, pro suâ modestiâ, Græcam versionem, 70. Interpretum, valdè fatuam appellare; & non ferendâ fatuitate, ipsos Hebraicæ Linguæ fuisse imperitos, pronuntiare. Cui simile quiddam ausum dicere Sebastianum Munsterum, refert Coccius in Thesauro Catholico lib. 6. art. 2. *In Symposiacis c. 69. itemque ad cap. 46. Gen.*



CAPUT XXI.

Quàm non bonâ fide tractent Calvinistæ Scripturas Divinas, in eorum facilè Principe Theodoro Beza, speciatim ostenditur.

ETenim, ut ab eo quod principale est, incipiã: cùm ex verbis institutionis Eucharistiæ apud Lucã c. 22. v. 20. ad agnoscendum in sacro calice realem Sanguinis presentiam ipse Theodorus efficaciter urgeretur; ex eo quòd Calix ille (seu contentum in calice) dicatur fundendus pro nobis; scilicet (ut addit Matthæus) in remissionem peccatorum, quod non nisi ver

vero Christi Sanguini, competere poterat, non autem figuræ, seu vino; quod iuxta Calvinum, solum continebatur in calice. Neque verò particulas illas, *qui pro vobis fundetur*, referri posse ad Christi Sanguinem, cum quo relativum *qui* conjungitur proximè, in textu nostro: obstare enim apertè textum græcum, in quo sic legitur. *Hoc poculum novum testamentum est in sanguine meo, quod pro vobis effunditur* (Græcè τὸ ἐκχυνόμενον) quàm vocem clarum esset ex ipsa verborum constructione, ad poculum seu calicem referri.

Hujus nimirum argumenti vi oppressus Theodorus, in majoribus suis ad eum Lucæ locum annotationibus, aliud non habuit quod responderet, nisi ita quidem legi in omnibus etiam vetustis codicibus; attamen vel ab Evangelista solœcismum esse commissum, cùm scribere debuerit; τῷ ἐκχυνομένῳ; vel eam lectionem è margine in ipsum Lucæ textum irrepsisse; eumque depravasse. Quæ quidem responsiones, tam futiles sunt tamque commentitiæ, ut eas clarum sit, nō hominis esse, quid reipsa tradat divina scriptura, cognoscere volentis, sed eam ad anticipatos sensus suos, omni studio, & per fas & nefas, accommodare satagentis.

Quâ quidem in parte, adeò hunc Calvini coapostolum sua excæcæcavit perfidia: ut nihil pensi habens, quantum detrimenti vel inde caperet Religionis reformatæ autoritas; ausus sit in suâ versione Latinâ, ipsum Lucæ textum pro arbitrio suo corrigere, & ita reponere: *Hoc poculum est novum illud testamentum, per sanguinem*

guinem meum, qui pro vobis effunditur: cùm iuxta originalem & genuinum Evangelistæ textum in câ Bezæ versione, legendum esset; *quod pro vobis*, & non *qui*; ita ut pronomen, cùm voce *poculum* & non cum voce *sanguinem* cohæreret. Subscribente interim ei corruptelæ, etiam Calvino; dum formam calicis ita expressit, *Hoc poculum novum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.* Atque hoc tunc Beza, perfidè & propudiosè ausus est.

Verumtamē posteà, cùm eum fortassis eius audaciæ puderet atq; pæniteret; atq; interim ei Lucæ loco (ut Proverbio fertur) effossos pervellet oculos; studuit, honorique suo consultius censuit, eum totum versum, in quo illæ voces habentur (quò jam illâ suâ odiosâ emendatione opus non esset) si non reipsâ è sacro textû expungere, sed saltem in dubium revocare. Quippe, qui (teste Iacobo Gordono Huntlæo Controversiâ tertia c.12.) in responsione ad primam Repetitionem doctissimi viri Claudij de Sainctes, versum illum Lucæ 20. (in quo interim ipsa consecrandi calicis forma continetur) exinde suspectum reddere conatus sit; quòd in quodam antiquissimo MS. Codice Græco-Latino, qui penes ipsum erat: de quo penes ipsum (si tamen aliqua esse possit) sit fides; non legeretur totum illud, quod apud Lucam, de posteriori poculo dicitur.

Addit idem Gordonus; eundem in vltimis suis annotationibus in novum testamentum, anno 1598. editis, etiam illa verba versûs 19. *quod pro vobis datur*, suspecta & dubia habere: quia

hæc

hæc omnia in ſuo illo venerandæ vetuſtatis cõdice non haberentur. Similiter autem, & verſûs decimum ſeptimum, & decimum octavum eiuſdem capitis; quòd non extent in Syro interprete.

Sed & ipſum Bezam priorem ſuam ſuſpicionem inde confirmare: quòd verba illa, *qui pro vobis funditur*, non habeantur in Paulo, qui tamen videtur, ex eo loco Lucæ ſuam dominicæ cænæ inſtitutionem, deſcripſiſſe. Sic ille inſulſus ac temerarius Calvini Archidiſcipulus.

Perinde atque ſi, non potiùs, aut negligentiæ, aut ſuſpectæ fidei, accuſandus eſſet, incognitus ille atque inviſus Theodori Græco-Latinus codex; in quo pars illa Inſtitutionis Sacramenti, quæ illis verbis cõtinetur: *Similiter & calicem dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*; quam Matthæus, Marcus, & Paulus tam diligenter expreſſerunt; inter deſcribendum ipſius Lucæ textũ, exciderit: quàm ut credibile ſit, reipſá à Luca prætermiſſam: quando cæteroqui in reliquis Lucæ, ſive Latinis, ſive Græcis exemplaribus, hactenus inventa, & retenta ſit.

Neque verò ex Paulo eam in partem quicquam habetur præſidij. Sive quia ipſo Paulo, non tantùm negãte ſe ab homine didiciſſe Evangeliũ; ſed ea ipſa, quæ de Sacramenti inſtitutione traderet, affirmante ſe à Domino accepiſſe; abſque fundamento, & falsò dicitur, quod ea ex Luca deſcripſerit. Sive, quia tametſi verum ſit, ea à Paulo prætermiſſa eſſe, nequit tamen dici ideo factum, quòd ea in Luca non invenerit. Alioqui enim (qaod Bezam iſta ſcribentem effugit) ſimiliter

liter Paulus omisisset illud : *quod pro vobis tradetur* : quippe quod, ipso fatente Beza, non magis habeatur in suo illo præclaro codice, & consequenter neque in textu Lucæ, siquid valeat istius arioli divinatio.

Ad extremum, neque ferendum est, quod versus illos, decimum septimum & decimum octavum (qui quidem ad ipsam institutionem Sacramenti non pertinent) contra cæterarum editionum & versionum, fidem; suspectos habeat ex solâ Syri Interpretis, qui eos prætermiserit, autoritate. Hac enim ratione, vacillabunt & aliæ plures divinæ scripturæ, alioqui indubitatæ, sententiæ: quando fieri pronum est, ut inter tot divinæ scripturæ in alias linguas, versiones, ista sacri textûs sententia ab aliquo interprete, illa ab alio, & consequenter plures à pluribus, aliâ ab aliis occasione, inveniantur prætermissæ.

Addere possumus; universè verum non esse, prædictos versus à Syriaca versione abesse. Extant enim in eâ, quam in suis Bibliis Polyglottis, typis Londinensibus, edidit Brianus Vvoltonus; tametsi fateatur, eos nec in Codice Viennensi, neque in MS. Bibliothecæ Regiæ, quo passim usus sit, reperiri.

Atque hæc pluscculis, minutiusque prosecuti sumus; tum ut speciatim appareat, quàm levibus de causis, eiusmodi homines ad textum sacrum immutandum, truncandúmve propendeant; & hinc ulteriùs, quàm non
reveren

reverenter, nec castè ac piè, divinas scripturas reipsa tractent; qui apud plebem imperitam, sese puri puti verbi divini in omnibus affectandi tuendique præ cæteris esse studiosos, assiduo boatu circumsonent, jactent, venditentque.

Sed & aliud est, in quo eiusdem Bezæ similis notatur & accusatur audacia. Quod nempe in suis in eiusdem Lucæ caput 2. annotationibus, ad illa verba: *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino*: cùm non inveniret, quâ ratione occurreret quorundam eruditorum objectioni, quod variis de causis non videatur, id temporis Cyrinus, seu Quirinius, Syriæ præfuisse; ut eâ se difficultate expediret, ausus sit rursum in dubium vocare, num fortassis prædictæ voces, ab aliquo primum margini adscriptæ, non fuerint deinde temerè in textum intrusæ,

Cúm tamen in omnibus Evangelij textibus, & linguarum etiam peregrinarum versionibus eædem voces reperiantur: nisi quòd in græco originali, Certarumq; Gentium versione, neque nonnullis item Latinis codicibus, præpositio A, quæ in vulgatâ nostra legitur, prætermissa sit. Ad quem Bezæ. Genium visus est respicere Lutherus: dum Tomo 7. *in defensione verborum cœnæ*, ita insultat Sacramentariis; *Quid inepti, nihilne consilij habetis &c. Dicite verba illa primùm margini adscripta; postea verò ab aliquo textui inserta.*

At

At id, quod modò ſubjicio, attendat Lector & judicet, pluſne improbæ malignitatis an fatuæ temeritatis contineat; Dum nempè ad caput Matthæi 10. ejuſque verſum ſecundum, ubi Evangeliſta duodecim Apoſtolos enumerans: *Primus*, inquit, *Simon, qui dicitur Petrus*; iſtum Beza commentarium adſcribit: *Primus*, inquit, πρῶτος, *Quid ſi hoc vocabulum ab aliquo additum eſt, qui Petri Primatum vellet ſtabilire? nihil enim ſequitur, quod cohæreat.*

In qua ſuſpicione, & malignæ ſe mentis oſtendit; & ex cæco affectu incohærentem Sancto Evangeliſtæ ſermonem adſcribit; cùm tamen agnoſcat ita legi in omnibus exemplaribus: Inſuper & ridiculum ſe facit; quaſi apud cordatos ſuſpicio aliqua ſubnaſci poſſit; quod Græcorum aliquis; quorum ſemper fuit potiùs ſtudium; Romani Pontificis autoritatem imminuendi, ut eam augeret, Evangelium corruperit; & addita ab eo Matthæi textui vox, πρῶτος, in reliqua deinceps exemplaria abſque ulla contradictione, promanaverit. Omitto alia.

CAPUT



CAPUT XXII.

Quàm iniustè sese pro Evangelicis haberi velint, qui non modò corrumpunt Evangelium, sed ipsum autorem Evangelij, Christum Dominum, omni studio deprimere conantur.

MAgna iterum vis, ni valdè fallor, eo in argumento posita est: quando manifestum esse videtur; qui eâ, quâ dixi ratione adversus Christum Salvatorem se gerant, hos non modò non esse habendos pro Evangelicis, sed neque ipso Christiani nomine simpliciter dignos esse censendos.

Porrò eâ se ratione gerere, recentiores sectarios, Lutherum in-primis patriarcham, tum reliquam ejus progeniem, attende, Lector, & obstupesce.

Lutherus igitur in Colloquiis Islebiensibus, titulo de lege & Evangelio, expressè tradit: *Christum in monte Oliveti, nescivisse discernere inter legem & Evangelium. Itaque necesse habuisse ut Angelus de cœlo Evangelium doceret.*

Idem Lutherus commentario in Epistolam ad Galatas, ut Christum omninò legem veterem (etiam Decalogum, ut alibi ostendo) abrogasse efficaciter significaret; ad id fœdissimis & ignominiosis appellationibus usus est; ipsum Christum vocans, *tyrannum, tortorem, carnificem legis, & diabolum, legisque adversarium*, cùm & aliοqui

alioqui præ divinæ legis odio ausus sit scelestus, etiam in eius autorem Deum, contumeliosus esse; ita impiè scribens, Tomo 1. Vvitembergensis editionis, fol. 189. & 190. apud Cornelium à Lapide. *Oportet cor humanum, legem Dei, atque adeò Deum ipsum, supra modum odisse.* Gal. 2. n. 47.

Sed quid facias his hominibus, qui etiam ponentes in cœlum os suum, effrænam quidlibet effutiendi licentiam, ex formulâ quinti Evangelij, Sanctam & Christianam libertatem appellant?

Iam verò quid dices, Christiane Lector, si eundem Lutherum in citato commentario in epistolam ad Galatas, ita audias adversus Dominum & adversus Christum eius, loquentem dicam, an furentem? *Omnes Prophetæ viderunt hoc in spiritu, quòd Christus futurus esset, omnium maximus Latro. Homicida, Adulter, Fur, Sacrilegus, blasphemus.* Cap.

Et ne ipsum putes figuratè tantum esse locutum: eo nempè sensu, quo etiam scripturæ phrasim secuti dicimus, Christum peccata nostra, sua fecisse; cùm se apud Patrem, vadem pro nobis constituit, & ita quandam portavit peccatoris imaginem: idipsum etiam exaggeratiùs confirmat, Homilia 1. de Baptismo; vbi rursum de Christo: *fit* (inquit) *gravissimus & longè omnium maximus, & unicus in terris peccator, ut alius, præter ipsum, nullus sit peccator*; subditq; *eum opus habuisse baptismo in remissionem peccatorum.*

Quem ea in parte æmulari visus est Calvinus; in eandem ad Galatas epistolam, & alibi molliùs

L tamen

tamen modestiúsque scribens, Christum ita personam nostram suscepisse, *ut peccator fuerit* (*fuerit*, inquit, non tantum figuram imaginemque pecatoris sustinens) *& maledictionis reus*. Sed de Calvino graviora postea.

Eodem faciunt & illa Lutheri in psalmum 22. *Quid ergo dicemus? simul Christum summè iustum & summè peccatorem; simul summè veracem & summè mendacem; simul summè gloriantem, & summè desperantem, simul summè beatum, & summè damnatum? Nisi enim hæc dixerimus, non video, quomodo à Deo sit derelictus.*

Tandem ut furibundi hominis, insanis in Christum maledictis, supremum hunc velut colophonem imponam: eo denique prorupit impietatis; ut in confessione majori, de cœna Domini, non solùm humanam Christi naturam passam esse diceret, sed etiam divinam: *quia* (inquit ille ore blasphemo) *non credo quod sola humana natura pro me passa sit: Christus ille vilis, nec magni pretij salvator est: immò ipse quoque salvatore opus habet.* Quod Lutheri dictum vel ipse fertur exhorruisse Zuinglius in responsione ad confessionem Lutheranam.

Attamen eâ ipsâ in parte, eundem secuti Andreas Musculus: & Ioannes Islebius (teste Silvestro Czecanoria, apud Berleium Tract.2. c.2. sect.10.§.8.) palam professi sunt, divinam Christi naturam, unà cum humanâ mortuam fuisse in cruce; Quamquam aliunde is ipse Lutherus, altero in extremo, non obscurè visus est, Christo seu huic homini, divinitatem adimere. Dum, ut refert Gretserus in suo *Luthero*

Academico

Academico in hæc verba ſcripſit, tomo 2. Colloquiorum Latinorum, Tit. *de Adverſariis*: *Non minus, immò magis, diſparata eſt prædicatio, ſi dicas: Deus eſt homo; quam ſi dicas: Homo eſt aſinus.* Ex quo rectè infert Gretſerus noſter: ergo magis falſa erit illa: *Deus eſt homo*; quàm illa: *Homo eſt aſinus.*

Etenim ſi vim vocis ſpectemus; diſparata ſic definiuntur apud Tullium lib. 1. de Inventione: *Diſparatum eſt autem, id quod ab aliqua re per oppoſitionem negationis ſeparatur, hoc modo: ſapere, & non ſapere.* Si igitur Deus & Homo, diſparata ſunt; poſſunt per oppoſitionem negationis ſeparari, dicẽdo, *Deus non eſt Homo.* Quod ne ipſe quidem Neſtorius tam crudè admiſerit, cùm inter duas Chriſti perſonas agnoſceret ſaltem quandam communicationem nominum.

Ego autem cui ſimilem dicam audaciſſimum hominem iſtum? niſi illi beſtiæ, in Ioannis Apocalypſi aſcendenti de terra, quæ agni quidpiam fronte præferens, *loquebatur ut draco.* Cap. 13.

Nam quando, ex Apoſtoli verbo, *nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu*; id eſt, maledicit & execratur Ieſum; neceſſe eſt iſta proferentem, ex illius loqui ſpiritu, à quo ipſe ſeſe moveri atque inſpirari audacter fatetur; de ſe nempè ſuiſque Tomo 3. Germanico Ienenſi in epiſtola de libro ad ruſticos, in hæc verba, quæ anteà retulimus, proloquens: *Nos à diabolo teneri, veluti à Principe, & Deo noſtro; ut cogamur facere, quidquid ipſe vult, & inſpirat nobis.* Cujus item familiari afflatu, & iſta, opinor, effuderit, Tomo 2. colloquiorum con- 1. Cor. 12.

vivalium : *Magis cupio per diabolum, quàm per Cæſarem mori. Morior enim per magnanimum atque potentem Dominum.*

Et hæc de ſe teſtantem auditis Doctorem veſtrum, Lutheri ſectarij; eique interim ex eodem ſpiritu cuncta novanti, & Eccleſiæ fidem, ac verbum Dei adulterantis, incautè inconſultéque creditis?

Porrò ad Calvinum ut deveniam; is ſanè in eo Dominum Ieſum deprimendi ſtudio cum ipſo Luthero certare, aut eum etiam ſupergredi, aut tranſcendere velle viſus eſt: dum in-primis in Harmonia in 26. caput Matthæi, de oratione Chriſti in horto agens, ita de eo inverecundè indignéque loquitur: *Non fuit hæc meditata Chriſti oratio, ſed vis & impetus doloris ſubitam ei vocem extorſit, cui ſtatim addita fuit correctio. Eadem* (ſubdit) *vehementia præſentem cœleſtis decreti memoriam illi abſtulit, ut non reputaret in ipſo momento, ſe hac lege miſſum humani generis Redemptorem.* Et mox: *mediatoris officio defungi, quantum in ſe eſt, renuit ac detrectat.*

Iam autem Chriſti à Patre in paſſione ſua derelicti conditionem, quàm nefario atque infami ſermone deſcribat, attende.

Primùm enim lib. Inſtit. 2. c. 16. §. 12. & in Matthæi caput 26. ait, illum in ea derelictione, *de anima ſua ſalute timuiſſe.*

Tum verò in caput Matthæi 27. *elapſam Chriſto deſperationis vocem: itaque ex omni parte fuiſſe vexatum, ut deſperatione obrutus ab invocando Deo abſiſteret, quod erat* (inquit) *ſaluti renuntiare.*

Poſtremò

Postremò, citati 16. capitis §. 10. *eum oportuit,* ait, *cum inferorum copiis æternaque mortis horrore quasi consertis manibus Luctari & (* quod etiã atrocius) *diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis perferre.* Quæ quodam quasi compendio in has horroris plenas voces colligens Beza, in caput 26. Matthæi, & 22. Lucæ. *Ingenti,* inquit, *onere divinæ iræ obrutus, flammis inferni addictus, profundo inferni gurgite sepultus, de versus periit.* Denique Lambertus Danæus responsione ad Ostandrum disertè docet: *Christum inferni dolores in ipso inferno passum.*

Atque è Lutheranis Iacobus Andreas (quando & Lutherum ab ea blasphemia non abhorruisse, videre est Tomo 3. Vvittembergensi in psalmum 16.) in oratione quadam Tubingæ impressa anno 1559. Christus pro te, ait, *descendit ad inferos, & non modò corpoream mortem, verùm etiam mortem æternam, ignemque infernalem expertus est, & degustavit.*

Ad quos tam horribiles blasphemias meritò exclamat Petavius noster, cum Patribus Quintæ Synodi, collatione 8. *Propitius sis, Domine; nec dæmones ausi sunt talia contra te loqui.* *To. 1. Theol. l. 3. c. 4.*

Nec refert, quod ipse Calvinus in caput 27. Matthæi, neget se dixisse, desperasse Christum, sed tantum vocem desperationis emisisse: alioqui enim, quanquam sensus, carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem ejus in corde.

Nihil quippe novi est ipsi Calvino; id quod opere & re ipsâ facit, ad molliendam dicti invidiam; eodem loco, id esse mentis suæ, verbo

& ad ſpeciem tantum negare. Quod eum item in re præſenti factitaſſe comperiet, qui ea quæ ex ipſo Calvino in idem caput Matthæi 27. ſuprà poſui, conſideraverit.

Nam ſi quod illîc ait, adeò fuerit deſperatione obrutus, ut ab invocando Deo abſiſteret, & *id* (uti ſubdit) *erat ſaluti renuntiare*: deſperavit utique (immò & ipsâ quoque deſperatione revera obrutus atque oppreſſus fuit) quando voces illas intelligenti, renuntiare ſaluti ſuæ, idem reipſa ſit, ac de ſalute ſuâ deſperare.

Cujus blaſphemiæ Calvinianæ ſuprà modum excreſcit atrocitas: quod, cum ſalutis noſtræ autoris ſacratiſſimæ humanitati, ſi de eà condignè ſentiret, non tantùm ſalutis quantumvis certam experientiam, ſed, etiam in vita mortali manifeſtam Dei viſionem cum doctoribus Catholicis, ipſamque ſalutis æternæ poſſeſſionem attribuere deberet: è contrà de eâ adeò abjectè indignéque ſenſerit, ut eâ in parte, Chriſtum infra omnes ſuæ fidei, (Calvinianæ inquam) profeſſores depreſſerit.

Quippe cùm alibi audiamus illum ita diſertè loquentem: *Verè fidelis non eſt, niſi qui ſolidâ perſuaſione, Deum ſibi propitium benevolumque eſſe perſuaſus; de eius benignitate omnia ſibi pollicetur; niſi, qui divinæ erga ſe benevolentiæ promiſſionibus fretus, indubitatam ſalutis expectationem præſumit.* Et rurſum eodem capite: *ubi primum vel minima fidei*

gutta

gutta mentibus nostris instillata est, iam faciem Dei placidam & serenam, nobisque propitiam contemplari incipimus, procul id quidem & eminùs, sed ita certo intuitu, ut sciamus, nos minimè hallucinari.

Tandemque ibidem affirmat, *illud in fide primas ac potissimas partes tenere, ut mens divinæ erga se voluntatis perspicuâ notitiâ fruatur.*

Quod si id proprium veræ fidei officium est, adeoque verè fidelis non est, nisi qui ejusmodi indubitatâ salutis suæ præsumptione fruitur: quomodo de Christo tam indignè sentit Calvinus, ut eum jam nobis inducat, de salute suâ dubitantem, timentem, desperantem, cum æternæ mortis horrore luctantem: quæ equidem nequeunt, cum illâ salutis indubitatâ præsumptione, certo intuitu, ac perspicuâ notitiâ, consistere?

Atque ejusmodi blasphemiarum autores atque satores, Deum per os suum loqui jactitant; &, quod satis mirari, satisque dolere non possunt, iis securè credunt infelices populi; eosque habent pro Christi Apostolis: qui adversus Christum adeò indigna blaterantes, mirum si apud cordatum aliquem haberi valeant pro Christianis.

Sed evolvamus nos ex hoc horrore; amice Lector: nisi quod ad extremum clausulæ gratiâ (quo vel hinc videas, etiam hac in parte verum esse, nefariis parentibus sobolem nequiorem succrescere, adjungere placeat, quorundam novorum Reformatorum de Christo

dicta, quæ fortè etiam magis horreas.

Invenio siquidem in Henrici Fitzsimon Britannomachia Thomam Rogerium in *doctrina Ecclesiæ Anglicanæ*, de quibusdam suis fratribus ita scribentem; nempe: *Matthæum Hamant, dixisse Christum esse virum impium.*

Lib. 1. c. 5.

Itemque Christophorum Vitelz: *non paucos esse hodie superstites Christo in bonitate pares*. Cui affine est, quod de quibusdam Anabaptistis tradit Augustinus Marloratus; eos sub synaxin, clarè profiteri, habere se tantam charitatem, quantam habuit Christus in cruce.

In cap. 11. Epist. 1. Cor.

Tandemque apud Gaulterium sæculo 17. extremo, inter 14. propositiones Sivrandi Lubberti à Conrardo Vvorstio impugnatas, hanc invenias numero nonam: *Christum non incessisse eâdem virtutis & sanctitatis viâ, quam nobis monstravit. Neque adeò*, (quod habet decima) *adeptum esse eam felicitatem, quam aliis promisit.* Insaniæ, portenta, propudia.

Et hos interim fructus progignit denique irobrum (si superis placet) fidelium animis, ex privati spiritus suggestione, quidlibet fingendi sentiendive licentia. In hos, non jam dico cœcos anfractus, sed in hoc altum patensque barathrum, devolvit errantes, insanum Romanæ Sedis odium, & puri scilicet verbi Dei, reformationisque Ecclesiæ specioso prætextu velata, à Catholicæ fidei regulâ, infelix & animorum saluti adeò perniciosa defectio.

CAPVT



CAPUT XXIII.

Perabsurdè Scripturam Sacram, ut legitimam credendorum regulam prætendi ab iis, qui eam fatentur non usquequaque, nec per omnia, infallibilem esse.

MAnifestum videtur pronuntiatum hoc attendenti ipsius terminos: cùm per se evidens sit, eam regulam, quæ aliquando fallit, aut potest fallere, non esse absolutè certam; nec proinde securam ac legitimam. Atque specialiter in re presenti indubitatum sit: eo ipso quòd scriptura aliqua, non per omnia est infallibilis, non esse re ipsa verbum Dei; cui utique falsum subesse nullo modo potest. Idipsum his verbis attestante S. Augustino, epistola 8. ad S. Hieronymum: *Admisso enim in tantum autoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla pars horum librorum manebit, quæ non possit in dubium revocari.*

Qui rursus adversus Manichæos scribens; qui ea quæ in Apostolo Paulo, contra ipsos sonarent, à nescio quibus corruptoribus, falsata esse contenderent, eos exinde redarguit, dicens: *Videtis id vos agere, ut omnis è medio tollatur Scripturarum autoritas, & suus cuique animus, &c.* prout aliàs retulimus.

Atque ante hos Montanistæ Cataphryges, cùm secundas nuptias illicitas esse crederent, eundem

eundem Paulum Apostolum, quòd eas fidelibùs permisisset, ex eo dicebant allucinatum; quòd, ut ipsemet agnoscebat, non nisi ex parte cognosceret. In suæ autem sectæ homines venisse quod perfectum est: quippe qui, (vt ex Augustino hæresi 26. apparet.) *adventum Spiritus Sancti, à Deo promissum in se potiùs, quàm in Apostolos, fuisse redditum delirarent.*

Verùm veteres istos, aliósque ejusmodi furfuris, fanaticos homines talia sensisse; non adeò mirum esse videtur, aut insolens. At quod etiam nostri Evangelici, qui assiduè crepant, *verbum Dei, verbum Dei*; & se purum Dei Evangelium, pro certâ & unicâ credendorum regulâ habere jactant ipsius scripturæ autoritatem elevent; quivis meritò perabsurdum, inexpectatúmque censeat; & hoc ipsum, ut validum arietem, quo ipsorum pulsetur, conquassetúrque Religio, miror ego non passim, nec à pluribus objectari.

Et Lutherum quidem proprium ipsorum Evangelistam (quidquid ipse dissimulet, &, ut existimo, negaturi sint ipsius sectarij) eôdem tendere; nisi valde fallor, apertè convincere, & lectori attento, nec pertinaci, persuadere possum.

Quid enim aliud eum facere dixerimus; dum eas Scripturas, quæ necessitatem studiúmve bonorum operum manifestè adstruunt, ita susque, déque habeat; ut non tantùm eas, in sensu opposito accipiendas esse dicat; (quod est rotundè dicere, illas reipsâ, & prout jacent falsas esse) sed etiam ab illis ad ipsum Christum provocet; quod est confiteri, & illas doctrinæ suæ esse contra-

rias;

rias; & rursum easdem, Christi sententiam, aut verbum Dei, non esse; & proinde, saltem eâ ex parte, scripturâ sacrâ non esse infallibilem; neque adeò pro certâ credendorum regulâ haberi posse.

Quod ut liquidius perspiciatur; attendantur illæ Lutheri voces, posteà rursum non multùm absimili occasione referendæ; quippe quas dignissimas censeam, quæ repetantur, ùt profundiùs ab ejus sectariis, & doctrinæ eius adoratoribus, ponderentur. Audiatur ergo sic expressè proloquens in Commentario fusiore, in Epistolæ ad Galatas cap. 3. *Potius honorem habere & credere velim uni Christo, quàm permoveri omnibus locis, quæ contra fidei doctrinam, pro iustitiâ operum statuendâ, producere possent. Quare simpliciter eis (Catholicis nempe) respondendum est: Hîc, Christus; illic, scripturæ testimonia de lege & operibus. Christus autem, dominus est scripturæ & omnium operum.* Et mox: *Nihil moror scripturæ locos, si etiam sexcentos producas pro iustitiâ operum, contra fidei iustitiam, & clamites scripturam pugnare. Ego autorem & dominum scripturæ habeo, à parte cuius volo potiùs stare, quàm tibi credere.* Tandemque *Tu urges servum, hoc est, scripturam, & eam non totam, neque potiorem eius partem; sed tantùm aliquot locos de operibus. Hunc servum relinquo tibi: ego urgeo Dominum, qui rex est scripturæ.* Ita ille novus Germaniæ Apostolus.

In quibus profectò, cæcum esse necesse est, qui non animadvertat: Christum eâ in parte, & scripturam; Dominum ac servum; doctrinam fidei,

fidei, & testimonia scripturarum: ex adverso inter se opponi ac disparari. Quòd apertè evincunt illæ particulæ: *Potiùs velim credere uni Christo, quàm &c.* Item: *à cuius parte volo potiùs stare &c.*

Ex quibus proinde liquidò apparet, iuxta Lutherum: scripturas, quæ à nobis allegantur pro justitiâ operum non esse verbum sive doctrinam Christi, aut testificationem Dei; atque adeò esse falsitati obnoxias, immò & falsas; cùm opponantur doctrinæ Christi & fidei. Et consequenter, ipsum Evangelium v. g. in quo ea falsitas reperitur, non posse à Luthero, aut ejus sectariis haberi pro regulâ credendorum infallibili. Quod erat probandum: velimque à sectariis paulò attentiùs considerari.

Eodem facit quod de Æcolampadio, suo aliquando discipulo, in *Defensione verborum cœnæ* scribit Lutherus: *Sic enim* (inquiens) *habet sua Hypothesis: Ego Æcolampadius, dico quod scriptura in hac re sibi adversetur.*

Adde & Bucerum (teste Sandero l.2.de Schismate Anglicano,) Duci Northambriæ, aliquando professum esse: *Sibi non omnia quæ in novo Testamento de Christo scripta sunt, certa & indubitata videri: quamvis id hactenus expressè dicere noluerit.*

Et non obstupescis, Christiane lector, ad tam sacrilegam, eorum præsertim, qui se divini verbi unicos sectatoresque defensoresque glorientur, adversus Testamenti novi sacrum volumen, irreverentiam?

At

At verò Hulricum Zuinglium, apud Bretleium audio; Tomo 3. contra Catabaptiſtas, de Pauli Epiſtolis, iſta inverecundè atque inſcitè effutientem: *Ignorantia veſtra eſt, quod putetis, cùm hæc Paulus ſcriberet, Evangeliſtarum & Apoſtolorum Epiſtolas, iam in manibus Apoſtolorum atque autoritate fuiſſe: quaſi verò Paulus Epiſtolis ſuis, iam tum cùm illas ſcriberet, tribuerit, ut quidquid in eis contineretur, ſacroſanctum eſſet: quod eſſet Apoſtolis imputare immoderatam arrogantiam.* Sic ille.

Quaſi verò Paulus non manifeſtè profiteretur ſe, Evangelium quod prædicaret, accepiſſe ex revelatione Ieſu Chriſti, ſermonémque ſuum ex Dei ſpiritu procedere: tandémque etiam, quæ ſcribendo traderet, eundem ſpiritum autorem habere. Gal 1. Cor. 2. & 7.

Sed nimirum audax & inconſulta hominum natio, quæ Dei ſpiritum, ſuæ quælibet ſectæ arrogat; eundem denegat veris atque indubitatis ipſius Chriſti Apoſtolis. Illudque inſuper uſurpare præſumit (Auguſtini phraſi) *diabolicum privilegium*: ut divinas ſcripturas, cùm re ſuæ ita expedit, vehementer extollat; cùm autem uſus aliud poſtulat, contemptu ſacrilego deprimat; eaſque ipſius Zuinglij verbo, non veritati, ſed tempori ſervire faciat.

Audiatur denique etiam robuſtiùs impudentiúſque delirans, Franciſcus Iunius primùm ex Catholico Atheus (ut ipſe fatetur) tum ex Atheo Calviniſta: qui in locis communibus pag. 61. & 62. (teſte Adamo Conzea, in ingreſſu operis, inſcripti *Iubilum Iubilorum*) ita diſertè

accusaret; ipsúmque adeò legis Decalogum, non modò non ligare Christianos, sed eum insuper omnium hæresum fontem esse diceret; atque ad extremum nullam legem Christianis positam; proindéque legem Evangelicam, nullam esse, contenderet.

Quæ omnia adeò à Christiano sensu abhorrentia, atque ad Epicureismum, omnémque vitæ licentiam palam deducentia, nequis falsò obtendi, eique autori injustè imponi existimet: erunt à nobis hoc capite, & consequentibus, ipsius Lutheri & asseclarum verbis expressis, distinctè, sigillatimque comprobanda.

Atque, ut id modò, quod isto capite nobis propositum est, exequar: illum audire licet, de lege Moysi, ipsóque Moyse, sic disertè loquentem: In Colloquiis mensalibus Germanicis, capite *De lege & Evangelio*: *Moysem cum sua lege nolo ego habere. Est enim Christi Domini hostis.* Et rursùs: *Suspectus tibi sit Moyses, tanquam pessimus hæreticus, pejor ipso Papa & diabolo, quia cum lege suâ, nihil aliud agit, quàm terrere, torquere, & occidere.*

Tandem Tomo 3. Vvittembergensi, in Psalmum 45. doctrinam Moysi doctrinæ profanorum sapientum haud obscurè æquiparans: *Colligite*, inquit, *omnes sapientias Moysis, Gentium, Philosophorum, & invenietis coram Deo, esse vel idololatriam, vel sapientiam hypocriticam, vel, si est politica, sapientiam iræ. Facessat igitur Moyses, &c.* Atque hæc, de lege vetere & Moyse, satis apertè.

Quod autem ad Decalogum attinet: Sermone

molliendæ causâ, id ſe ita ſentire, verbo negare. Qua præſertim arte uti Calvinum, obſervavimus ſuprà, & deinceps obſervaturi ſumus.

Cæterùm, quæ hic protulimus, iſtius Pſeudo-Apoſtoli effata, adeò abſurda & impia ſunt, ut per ſe corruant, neque operosâ indigeant refutatione. Quando & quæ contra legis veteris præcepta dicuntur, non tam Moyſen, eius, promulgatorem, condemnant, quàm ipſum Deum, primarium eius autorem, accuſant.

Et manifeſtum eſt, ipſum Chriſtum in Evangelio Moyſen, non ut hoſtem, ſed ut adventus ſui præntuntium laudaſſe; eundémque in Transfiguratione ſuâ, in familiarem gloriæ ſuæ teſtem adhibuiſſe. Itémque Decalogum legis, quoad præcepta non cæremonialia, ſæpiùs confirmaſſe; ut ampliùs apparebit ex dicendis.

Attamen illud hîc præmittimus, quòd verticoſum hominis ingenium, & licentioſam quidlibet pro libitu novandi audaciam, manifeſtiùs demonſtret. Eum ipſum Lutherum, quem hoc capite vidimus, adeò furenter in legem Moſaicam declamantem; ut ejus (quod expreſſit alibi) nullum ejus ad nos, ſive punctulum, ſive apiculum vellet pertinere: eum ipſum, inquam, quædam ejus legis ſibi placita capita, tametſi cum Chriſti Evangelio directè pugnantia, in uſus Chriſtianos inducere tentaſſe, & reipſa quoad ipſi licuit, induxiſſe.

Tomo 3. Latino Vuitt.

Quam indignitatem ſubſequens oſtendet, ac prorſus convellet diſſertatio.



CAPVT XXV.

Oſtenditur, quemadmodum Lutherus & quidam alij, polygamiam, & libellum repudij, inter Chriſtianos licita eſſe, adverſus Evangelium, docuerunt.

ISta hoc loco diſcutienda proponimus, quò vel hinc quoque appareat, quàm parum deferant Evangelio, qui ſe præ cæteris Evangelij puritatem ſectari gloriantur.

In primis igitur, quod ad polygamiam, ſive ad plures uxores ſimul habendas, attinet; eam ſatis apertè in novâ lege prohibitam non eſſe, tradit Lutherus; in propoſitionibus de Bigamia Epiſcoporum; his verbis: *Polygamia non magis nunc abrogata eſt, quàm reliquum legis Moſis; ſed indifferens, utpote, nec præcepta, nec prohibita.* Hæc ibi. In quibus illum obſerves, ita loqui, quaſi lex Moſis non eſſet abrogata; quòd id ei loco magis ſerviret, cùm ex ſupradictis ſeſe ejus legis juratum hoſtem toties profeſſus ſit.

Idem etiam pluribus tradit Tomo 4. Ienenſi in cap. 16. Geneſis, anno 1528. cujus verba ex Germanico ita effert Gretſerus noſter: *Abraham habuit duas uxores; & etiam alij viri ſancti longè plures. Certum autem eſt, omnia illa externa opera, quæ in Veteri Teſtamento antiqui Patres geſſerunt, libera eſſe debere, non interdicta. Prohibitum*

Summulâ caſuum cap. de Matrim.

bitum non est, ut vir habeat plures uxores. Itaque hoc vetare non possum, sed suadere nolim. Quas postremas voces ab eo per artificiosam dissimulantiam adjectas esse, ex eo colligas quod, ut refert Gretserus supra, ipsemet Lutherus cuidam Principi concesserit duas uxores; ita tamen, ut prior duntaxat, hæredes & successores in principatu gigneret; idque patêre ex libro Lutheri contra Henricum ducem Brunzuvicensem, tomo 4. Germanico Ienensi.

Porrò Magistri sui sensibus obsequens Melanchthon, in Conciliis Theologicis; Henrico VIII. Angliæ Regi, divortium cum uxore sua priore meditanti, non dubitavit ita scribere. *Si vult Rex successioni prospicere, quanto satius est id facere, sine infamia prioris conjugij. Ac potest id fieri, sine ullo periculo conscientiæ cujusquam, aut famæ, per polygamiam. Quia polygamia non est res omninò inusitata. Habuerunt multas uxores Abraham, David, & alij sancti viri. Vnde apparet Polygamiam non esse contra jus divinum.* Sic illi, præclari scilicet, Ecclesiæ Christi Reformatores.

Idem tamen error, præcipuo titulo, Bernardino Ochino tribuitur; propterea quòd librum de licitâ uxorum multitudine scripserit.

Verumtamen certissimum esse debet inter Christianos illicitam esse polygamiam: ipso Christo videlicet, Matthæi 19. v. 5. pro lege nova, matrimonij conditiones ad primævam ejus institutionem revocante: secundùm quam, ut ex Gen. c.2. sumitur, debuit tantùm esse unius cum una. Quod, etiam efficaciùs probatur, ex eo quod

apud Matthæum v. g. constituit Christus; eum qui dimiserit uxorem suam, permanente scilicet vinculo conjugali, mœchari si aliam duxerit. Vnde sic argumentatur Innocentius III. cap. *Gaudemus* de Divortiis? *Quod si uxore dimissa alia duci de iure nō potest, fortiùs & ipsâ retentâ.*

Et hanc fuisse intentionem Christi, confirmat ab ipso initio ad hæc usque tempora, continuata Ecclesiæ traditio; ut proinde veluti ad rem in Ecclesiâ inauditam, adversus Lutherum insurrexerint, non tantùm Catholici doctores, sed etiam sectarij; ut è Lutheranis Kemnitius, è Calvinistis Beza, scribens contra Ochinum.

Iam autem, quod ad divortij libellum attinet: eo casu, quo alter conjugum, ab altero per proterviam v.g. vel quacunque ex causâ, discedat, vel ei cohabitare nolit, licere alteri conjugi, aliud matrimonium inire; expresse tradit idē Lutherus Tomo 5. Vvitemb. sermone de *Matrimonio*; Apostolo ad id, ex inscitia, an malignitate? contra verba eius; & mentem allegato.

Neque enim, inquit, Lutherus, *os Paulo obstruere possumus* &c. *verba eius aperta sunt, quod frater vel soror à matrimonij iugo liberatur, si alteruter ab altero discedat, vel cohabitare nolit.* Sic ille.

1. Cor.7. Atqui (observa Lector) verba quidem Pauli aperta sunt; sed si adjungatur particula ista, malâ, ut apparet, fide omissa: *Quod si infidelis discedit, discedat.* Apertum enim est ex ipso textu, ibi agi de casu, quo infidelis discedit à fideli converso.

Alioqui enim, si matrimonium inter fideles contractum

contractum sit, non posse per discessus alterius conjugis, ipsum matrimonium reipsa dissolvi; antè significarat Apostolus ibidem, v. 11. dicens: *His autem qui matrimonio juncti sunt; præcipio non ego, sed Dominus: uxorem à viro non discedere; sed si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.*

Et sanè, quod suprà insinuabamus; excepto casu fornicationis (quem non urgemus in præsentiâ) virum uxorem, quacunque aliâ ex causâ dimittentem, non posse aliam ducere, adeò expressa est Salvatoris sententia; ut qui contra senserit, nullâ tergiversatione excusari possit. Atqui, ex ipso Domini sensu (ut Paulus testatur) eadem est ratio uxoris relinquentis virum, quam propterea (nisi reconcilietur) necesse sit manere innuptam; eo quod hoc casu matrimonij vinculum non solvatur.

Ergo inexcusabilis est ipse Lutherus; quia contraria Christo docuerit. Et tamen ille, velut Propheta habetur à suis adoratoribus, & verba ejus tanquam oracula de cœlo.

Verùm hoc in genere, omnem admirationem, quin & fidem superare videtur (nisi quod ipsa verba & loca habentur præ manibus) Martini Buceri prorsùs insolens audacia. Quippe qui non contentus, ex ipso Lutheri spiritu, ad quem à Catholicis primùm defecerat; tametsi ab eo ad Zuinglianos, ab his rursum ad ipsum Lutherum, ab hoc iterum ad Zuinglianos (cùm non inveniret, ubi pedem solidè figeret) desultoriâ fœdáque levitate transfugerit: non

contentus, inquam, cum Luthero edicere; libellum repudij, eo ferè modo, quo Iudæis olim, propter duritiam cordis eorum, extra ordinem, permissus erat, etiam in lege novâ licitum esse. Contrà quàm, Christi expressâ verba Matthæi 19. ipsi qui aderant intellexere discipuli. Vlteriùs eò audaciæ insolentiæque prolapsus est, ut errorem suum ex ipsis Evangelij locis, quibus oppositum decernebatur, deduceret, atque ipsis adeò Salvatoris verbis, adversus apertam ejus mentem, impiè pugnaret. Ita enim illum scribentem videas, in ipsum Matthæi caput 19. *Quemadmodum & hodie par est cordis duritia; sic etiam hodie uxoribus laborantibus non minus succurrendum est, quam olim. Neque enim nunc* (ut insulsè addit) *Magistratus minorem autoritatem habet, quàm Moyses: quare & illam exercere debet.*

Confirmat ibidem assertum suum, præclarâ istâ ratione. *Quia non est credendum* (inquit) *Christum Dominum, quidquam eorum prohibere velle, quæ Pater eius mandaverat: mandavit autem duris corde, ut si uxores suas æquitate maritali tractare nollent, procurarent licentiam, aliam ducendi.*

Quasi verò, aut in lege veteri, Dei filius, semper existens apud Patrem, non simul mandarit, aut permiserit, quod pro illo tempore, mandabat aut permittebat Pater: aut in lege novâ Pater in Filio manens, non simul cum illo abrogaret permissionem illam.

Sic autem extendit eam permissionem, etiam pro lege nova, Bucerus: ut generatim velit,

matrimo

matrimonium solvi posse, & aliud iniri, quoties uxor non se commodam viro, aut vir uxori non se commodum præbet; quacunque videlicet de causa, conjuges sibi displiceant. Neque hîc omittenda videtur ratio illa, in libro de Regno Christi, generalibus verbis ab eodem autore prolata. *Hoc enim cùm in lege veteri præceptum fuerit, ad Christianos etiam pertinet.* Ex quo principio, quæ absurda sequantur, quivis facilè videre potest.

At hîc me tenere non possum, quin aliis tantisper omissis, ex te quæram, Lector ingenue; an eos qui, Christo, locis expressis in Evangelio, matrimonij conditiones ad primævam suam institutionem revocante, & libellum repudij Iudæis permissum, in lege novâ abrogante; ausint tamen illius usum adhuc licitum, ore protervo defendere; pro Christianis habendos putes?

Non putavit sanè præclarus Doctor Ambrosius; qui ad illa Lucæ 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur*, illud ipsum opponens: *Quomodo Moyses mandavit dare libellum repudij, & dimittere? Qui hoc dicit* (respondet) *Iudæus est: qui hoc dicit, Christianus non est. Et ideò qui hoc objicit quod objectum est Domino, respondeat ei Dominus: Ad duritiam* (inquit) *cordis vestri Moyses permisit, &c.* Hæc Ambrosius. *Lib. 8. in Luc.*

Neque hîc mirentur Lutheri asseclæ, si eâ in caudâ de Luthero, eique adhærentibus, severiùs duriúsque loquamur: quando in eam rem advocare possumus, ex Acatholicis (qualis

tunc erat) Georgius Vvicelium, in methodo concordiæ Ecclesiasticæ apud Brerleium, haud molliùs profectò pronuntiantem. *Reducat*, inquit, *ad calculum Lutheri factio, & retractet, quæ portenta, & quàm non pudicè admodùm scripta, ediderit, de conjugio, de divortio, de iterando post divortia matrimonio, de gradibus, de polygynæziâ*, &c.

Tract. 2. 1. 2 sect. 10. §. 5.

Nimirùm hæc denique (si attendimus) ad extremum recidit, speciosa illa, & simpliciorum oculis illudens, quam novitatibus suis prætexunt, plenisque buccis crepare solent Neo-Evangelici nostri, *Ecclesiæ Dei Reformatio*. Vt videlicet, ex unâ parte, pulchro Evangelicæ (quam appellant) libertatis obtentu, fidelibus ab omni lege, non humanâ tantùm, sed etiam divinâ, ipsius quoque Decalogi (quem iste novus Evangelista, omnis hæresis fontem appellat) exemptis atque absolutis; ex alterâ autem, si quid in Veteri Testamento, istius gentis infirmitati, aut duritiæ cordis, pro tempore indultum aut concessum sit, uti nominatim de causis matrimonij vidimus, eo, inquam, omni laxamento, in lege nova reservato, & ad Christianos usus ac mores traducto; inauditâ hactenùs mixturâ, conflettur quintum Evangelium, ipsi Christo Domino, ejúsque puro veróque Evangelio, contrarium; atque aliundè omnis licentiæ ac nequitiæ irritamentum.

Ad extremum, caput hoc clausurus, Lectorem meum admoneo, censuram à nobis prolatam; Lutherum præsertim, ejúsque sectarios respicere. Non quòd, seu Calvinus, seu Calvinistæ,

nistæ, Lutheranâ istâ fuligine, etiam notabiliter aspersi non sint: in quantum & ipsi, non tantùm in causâ fornicationis (quo casu id permittunt etiam Græci Schismatici) sed & aliis quibusdam casibus divortium concedunt, etiam soluto ipso vinculo matrimonij: quam in rem testantur nonnulli, inter Canones generales Genevenses anno 1560. extare statutum hujusmodi: ut si maritus absens esset, uxor illum voce præconis vocaret; qui si infra præscriptum tempus non appareret, Minister licentiam concederet uxori alium ducendi. Attamen neque tam laxè eam licentiam extendunt, & à permittenda polygamia prorsus abhorrent, & in quibusdam aliis ejus generis non eousque exorbitant, atque ille nostrorum Reformatorum Protopatriarcha, olim Dei castus, pòst spurcus Veneris Sacerdos: usque eò nempe eâ in materia delirans; ut etiam constante matrimonio, ubi propriæ uxoris deest copia, licentiam condonet, ad aliam fœminam quæ ad manum sit, sine scrupulo accedendi. Iuxta quod circumferri solet, in sermone *de Matrimonio*, ab ipso expressum, dignum tali Apostolo acroama: *Si non vult uxor, aut non possit, veniat ancilla.*

CAPVT



CAPUT XXVI.

De attentatâ, à prætensis nostris Evangelicis, supremâ, atque omnimodâ legis Evangelicæ abrogatione.

POstremum istud est, eorum quæ adversus Lutherum ejúsque asseclas anteà demonstranda susceperam, eos videlicet, cùm insigni Christi, ejúsque testamenti, injuriâ apertè contendere; nullâ lege teneri Christianos, nullámque adeò legem Evangelicam esse.

Quæ res, uti magni, ad ipsa sectarum fundamenta convellenda, momenti; erit nobis deinceps exactiùs diligentiúsque pertractanda. Ad quod; ante omnia, facturus videor operæpretium, si, Lectori meo, considerandum proposuero, quàm flexuosâ viâ Lutherus, ad id efficiendum consequendúmque, grassatus sit.

Principiò etenim; rem velut obliquè clandestinéque pertentans; admonere institit sequaces suos, ne inter legendum Evangelium, ad præcepta legis attenderent, sed ea veluti pro non scriptis, aut nihil ad se pertinentibus, haberent. Cujus rei fidem faciunt ea, quæ libro de actis, scriptisque Lutheri tradit Cochlæus, ad annum 1522. id est, sub initia apostasiæ ejus. *Iubebat*, inquit, *cavere Lectorem, ne ex Evangelio, legis & doctrinæ librum faceret. Evangelium non requirere opera, aut præcepta præscribere, sed*

sed solùm fidem in Christum , & dulciter consolari credentem. Extantque hanc in rem expressa ipsius Lutheri verba libro *de votis monasticis* ; ubi ait Catholicos *ignorare quid sit Evangeliũ; dum præcepta & consilia ex ipso faciunt , quod est meræ promissiones Dei , exhibita beneficia hominibus annuntiantis.*

Quâ in viâ jam olim sibi præeuntes habuit Anomæos pessimos hæreticos ; de quibus sic scribit Sanctus Epiphanius , hæresi 76. *Cùm occurrens aliquis præceptorum mentionem injicit , ex illius autoritate dicti , subjiciunt, nihil aliud à nobis flagitare , quàm ut cognoscamus ipsum : quemadmodum Christus declaravit his verbis : da ipsis, Pater, habere in seipsis vitam. Hæc est autem vita , ut cognoscant te solum Deum verum , & quem misisti Iesum Christum.*

Addebantque : siquis fidem habeat (quod similiter docuit Lutherus) parum referre , quid deinde committat facinoris: neque enim peccata imputari credenti.

Atque eâ in re constituebat Lutherus , totam vitæ Christianæ sapientiam ; provt deinceps his verbis expressit , in argumento Epistolæ ad Galatas : *summa ars & sapientia Christiana est, nescire legem , ignorare opera , & totam justitiam activam.* Et in caput 2. eiusdem Epistolæ: *sola fides Christi necessaria est , ut iusti simus; cætera omnia liberrima sunt, neque præcepta, neque prohibita.*

In quâ doctrinâ in-primis , mihi quidem videtur involui quidam Labyrinthus Inextricabilis.

bilis. Siquidem cùm ait: *Evangelium, non esse librum legis, nec præcepta præscribere*: Vel intelligit in Evangelio nulla reipsa Christi præcepta contineri, vel siqua talia continuentur; non obligare Christianos. Prius, tam apertè falsum est: ut vix aperiri, & vel leviter libari, possit Evangelij liber, quin continuò occurrant Salvatoris voces, ei qui salvus esse velit, mandatorum legis observantiam præscribentis; & ipsam etiam decalogi legem, quatenus non cæremonialis, sed naturalis aut moralis est; in novo Testamento confirmantis; & (ut alia omittam) cùm Apostolos suos ad prædicandum Gentibus Evangelium suum mitteret, disertissimè, ut eos docerent servare omnia quæcunque mandasset illis, admonentis atque præcipientis.

Matth. 19. v. 18. Lucæ 18. v. 18 & alibi Matth. 28.

L. de pudicitia c. 6.

Iam autem, quod erat posterius; agnoscere dari in Evangelio aliqua præcepta Christi, & iis non ligari Christianos; esset hominis ignorantis vocem suam; & contumaciam adversus divina mandata, insanè impiéque approbantis.

Est igitur Evangelium Christi, non tantùm codex dogmatum fidei, sed etiam liber novæ legis, & doctrinæ morum, agnoscendus.

Sed neque jam dictis minùs implexa aut involuta sunt, quæ locis citatis in Epistolam ad Galatas, superaddit idem ille (suo judicio) *Doctor Doctorum, & ipso Augustino Ambrosioque maior*; ad hunc modum proloquens: *Quando sic docetur fides, justificat quidem; sed simul oportet servare mandata Dei; quia scriptum sit, si vis ad vitam ingredi, serva mandata: ibi statim Christus negatus est; & fides abolita: quia mandatis tribuitur,* quod

quod est solius Dei. Sic ille.

In quibus in primis, istud occurrit mirabile: illum negare Christum, qui ex apertissimo ipsius Christi pronuntiato, mandatorum Dei observantiam, profitetur esse necessariam ad salutem: cui è diverso in hoc contradicit, eumque abnegat ipse Lutherus.

Deinde cui homini sano, ex ipsis terminis frivola & vana non appareat, adjuncta ratio? cùm ex eâ, in eâdem formâ, perinde possit effici; neque ipsi fidei attribui posse iustificationem & salutem; quia etiam tum, attribuitur fidei, quod est solius Dei. Neque enim fides magis Deus est, quàm ipsa mandata, aut eorum observatio, sed sicuti ex hoc, quòd Deus dicendus est causa principalis justitiæ nostræ atque salutis, non sequitur, fidem non posse ad illam inferiori modo concurrere; sive ea dicatur habere se, ut dispositio, ut conditio, seu quocunque alio appelletur nomine, ita nihil obstabit, quo minus eâdem ratione, legis observatio, nostræ justitiæ, sive saluti, dicatur servire posse atque debere.

Hæc igitur via cùm ad fines suos Luthero minùs succederet; aliā sectari instituit, à nobis antea memoratam: ut nimirum locis novi Testamenti quàm plurimis, quibus operū necessitatem apertè adstrui sentiret, nonnullos infirmos atq; enerves in contrarium opponeret & anteferret. Ex veteri & istud hæreticorum more, videlicet: de quibus sic pulchrè Tertullianus: *Esse solenne perversis & hæreticis, alicuius capituli ancipitis occasione, adversus exercitum sententiarum totius testamenti armari.* Quod

Quod si uspiam, profectò vel maximè in nostro argumento, verum est. Hîc enim, si usquam pro nobis pugnat exercitus sententiarum totius testamenti, adversus quem unius capituli ancipitis obtentu armatur Lutherus: & ejus equidem, quod ut sibi favere cogeret, malignâ fuit unius voculæ adjectione falsandum.

Et nonne adversus ejusmodi tanquam scripturarum exercitum sese profitetur audacter insurgere: quando loco supra memorato in hunc modum loquitur? *Nihil moror scripturæ locos, si etiam sexcentos producas pro iustitia operum contra fidei justitiam, & clamites scripturam pugnare.* ubi tamen iis velut diffisus scripturæ locis, quæ adversus illos sexcentos opponeret, iis prætermissis, ad cæcum illud refugit Christi privatim pro se stantis subsidium: in hoc rursum usurpans vetustorum artes hæreticorum, de quibus iterum audire liceat Tertullianum, adversus Valentinianos cap. 4. sic proloquentem? *si aliquid novi adstruxerint, revelationem statim appellant præsumptionem.* Id est si quid ex proprij sensus præsumptione adinvenerint, quod scripturis sentiant non posse defendi, ad id sibi privata revelatione compertum temerè atque inscitè pronuntiant. Quem quidem Lutheri in re proposita dolosum sed inscitum conatum; satis apertè suprà deteximus, nec inefficaciter infirmavimus ac repulimus.

Tandem cùm neque sic sententiam suam apud intelligentes approbare se posse consideraret, desperaretque aliud effugium opportunius invenire, ut

ut Spripturæ locos sibi apertè contrarios, uno quasi spiritu eliderет, eluderetve, non est veritus (obstupesce ad hanc hominis blasphemi stoliditatem, si quis tibi sensus pietatis est reliquus, lector reformate) discipulis suis præclaram hanc regulam tradere, Tomo 3. Latino Vvittemb. folio 171. *Hæc tibi norma & regula esto, quam in Scripturis sacris intelligendis sequaris: Vbicunque jubet Scriptura, bona opera facere; tu sic intellige, quod Scriptura prohibeat, bona opera facere*: Sic ille. *Vide Britannum, l. 1. c. 10. p. 1.*

Potuitne verò (insanum caput, & quod ille ait, *tribus Anticyris insanabile.*) Potuitne quidquam à te proferri, sive ad tui cerebelli intemperiem orbi manifestandam opportunius; sive ad ipsius verbi divini autoritatem elidendam, ipsúmque impiorum ludibrio exponendum, efficacius; sive, in Christum, ipsius autorem, supremámque Dei sapientiam, contumeliosius denique, quod, præ cœcitate minùs attendis, ad prætensæ à vobis Reformationis sectam, in invidiam, odiúmque vocandam, quin immò etiam ab ipsis fundamentis subruendam, accommodatius; quàm tua illa generalis regula, & bella scilicet scripturas divinas, non jam exponendi, sed enervandi, confundendi, proculcandique; ac proinde, non ex spiritu Dei, sed ab illis tuis, quorum antea meminimus, arcanis magistris suggesta, atque è tenebris in hanc lucem producta ratio? *Horat.*

Quid enim; amabo, certum jam erit in divinis litteris; si, uti Luthero, ita cuivis cuiusvis alterius sectæ professori, licitum sit ex si-

mili regulâ, quidquid in ſcripturis ſibi repugnans deprehenderit, in ſenſum non tantùm improprium aut figuratum, ſed etiam contradictoriè, uti loquimur, oppoſitum flectere? Si Azio verba illa ſancti Evangelij: *Ego & Pater unum ſumus*: Neſtorio, illa: *Verbum caro factum eſt*; Zuinglio, iſta: *Hoc eſt corpus meum*; Perindè liceat negatione ſubintellectâ interpretari; hoc eſt, legitimum eorum ſenſum, in oppoſitum falsúmque pervertere? Quid ſi quoque adverſus Lutherum parem licentiam uſurpantibus: ubi is contra nos pro ſuis dogmatis locum aliquem ex Evangelio proferre acceperit, contendamus illum, non in ſenſu quem præfert, ſed in oppoſito intelligendum: quantum hinc exiſtet doctrinæ chaos, quanta univerſæ fidei noſtræ perturbatio?

Quid verò ſi Lutheri ſervus (ut exemplo iſto familiari rei indignitatem magis demonſtrem) ipſo quidpiam planis verbis præcipiente; ut eo mandato ſeſe eximat, ſibi perſuadeat, herilia verba non in ſenſu obvio atque proprio, ſed in alieno aut oppoſito, reipſa eſſe accipienda: an non is meritò vapulet multis; Et tu, propudium, qui te præ cæteris, Evangelij Chriſti, cultorem eximium, ejúſque ad litteram obſervantiſſimum vendites, ipſius Salvatoris verbis atque præceptis, non eam ſaltem venerationem ſervitutémve à te juſtè deberi ſentias, quam mandatis tuis ab homine tibi non abſimili; non immeritò præſtari poſtules; ſed, ut te, fatuo Evangelicæ libertatis obtentu, à Dei, ac Domini tui juſtiſſimis legibus præſtes immunem,

nem, in iſtas devolveris inſanias?

Neque animadvertis, non potuiſſe te, apud cordatum quemvis, graviorem ſecurim quinto tuo Evangelio infligere; quàm ſi intelligatur, primariam illius baſim ac fundamentum, articulum, inquam, de juſtitiâ ſolius fidei, niſi ſic ſuſtineri non poſſe; ſive, abſque tanto Evangelij Chriſti dehoneſtamento, immò & fidei Chriſtianæ ſubverſione, non poſſe ſubſiſtere.

Equidem ſi ita faciamus: Hieroclem aliquem, aut Porphyrium, aut Iulianum Auguſtum, aut alium quemvis Chriſtiani nominis juratum hoſtem, ejuſmodi voces, quales ex Luthero jam audivimus, ex ore cujuſquam, qui ſe Chriſtianæ fidei Doctorem profiteretur, excipere: an non exultaret, illicò ad iſtud velut auribus ſuis jucundiſſimum acroama; exinde nobis, ipſique Chriſto inſultaturus, neque immeritò deriſurus Scripturas noſtras: quæ quidem à nobis haberentur pro divinis oraculis, atque adeò certæ & infallibilis autoritatis, ſed ita tamen ſi pleriſque locis, & paſſim obviis, non accipiantur in ſenſu, quem ipſa per ſe ingerunt cuilibet prudenter intelligenti (in quo ipſæ Scripturæ jam falſæ ſint, & perabſurdæ) ſed in ſenſu prorſus contrario, & qui nulli prudenti poſſit in mentem aut ſuſpicionem venire? Ex quo utique fiat, ut Scripturæ noſtræ, non ſint (quod nos dicimus) divinæ veritatis promptuarium, ſed è contra, cujuſvis, & quantumvis abſurdæ, armamentarium falſitatis.

Ad quam infidelium, eâ in hypotheſi, juſtam equidem & ipsâ falſorum Chriſtianorum con-

fessione armatam obtrectationem, opprobationemve eludendam non video quid quisquam Lutheri assecla sive patronus, vel in speciem, possit obtendere.

Accedit: non tantùm, per sese fatuam, absurdam, & à sensu cujusvis hominis abhorrentem, esse istam Lutheri præsumptionem; sed insuper ex eâ consequens esse; ut ipse contextus Evangelij, iisdem in locis, prorsus perturbatus, ineptus, & incongruens sit; neque vel in quovis, qui ratione utatur, ferenda, Salvatoris oratio. Cujus rei placet, pauca de innumeris exempla proponere.

Matthæi 5. v.16. discipulis suis ait Salvator: *sic luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Quo utique loco, si juxta Lutheri glossema, censeatur Salvator præcipere suis, ut à bonis operibus in hominum conspectu exercendis abstineant: quomodo subsistet ei præcepto subjuncta ratio, ut *videntes opera vestra bona glorificent Patrē vestrum* &c. Neq; tamen dicat quis: etiam rationem illam in sensu contrario accipiendam: quia sic perabsurdè censebitur Christus prohibere, ne id agant fideles, unde glorificetur Pater.

Ibidem à versu 3. Beatos pronuntiat Christus, qui varia virtutum opera, & speciatim v. g. qui misericordiam erga alios exercuerint. Si Lutherum audimus, censendus erit iis verbis Christus, vel miseros dicere misericordes; vel immisericordes, beatos: quo casu, prorsùs incongruens invenietur subjecta ratio: *quoniam ipsi*

ipsi misericordiam consequentur: supple, quemadmodum eam, ipsi erga alios exhibuerint.

Sed multò amplior & generalior erit in textu eiusdem capitis perturbatio: si Christo dicente v. 20. *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: quisquam cum Luthero, id eam in partem acceperit: quasi prohibeat reipsa Salvator, ne justitia nostra, (id est, ut clarum est ex exemplis à Christo subjunctis, ipsa divinæ legis observatio) in nobis exactior aut perfectior sit, quàm vel exigerent ab aliis: vel sibi usurparent, scribæ & Pharisæi. Tunc etenim prorsus incongruens, & incoibilis, erit multiplex illa, iustitiæ Pharisaicæ, & eius quam Christus à suis requirit, collatio, sive oppositio: veluti patebit textum attentè consideranti, aut ipsa Salvatoris verba, ad sensum non prorsus absurdum reducere, ac reconcinnare satagenti.

Sed aliis omissis, etiam clarius efficaciusque videri potest, quod subjicio. Salvator noster, in extremo post cœnam sermone, in quo, quemadmodum postulabat temporis ratio, seriò ac solicitè multa commonet dilectos discipulos suos; inter alia exemplo suo proposito, hortatur illos; ut, quomodo ipse Patris sui præcepta servavit; ita ipsi sua præcepta servent: eo pacto mansuri in sua dilectione. Ita enim legimus Ioannis 15. v. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei, præcepta servavi; & maneo in eius dilectione.* Dicetne hîc Lutheranus aliquis, primam

istius sententiæ partem, accipiendam in sensu contrario? quasi dicat Salvator: *Si præcepta mea non servaveritis, manebitis in mea dilectione?* Atqui nemo homo, nisi prorsus insanus, dixerit: dilectum sibi fore, qui sua præcepta non servet: multò minùs ipsa sapientia Dei. Deinde hoc dato: quomodo subsistet comparatio ipsa? cùm sit prorsus incongruens, dicere: Ne servetis præcepta mea, ut maneatis in meâ dilectione, quemadmodum & ego Patris mei præcepta servavi; & maneo in eius dilectione. Porrò, si postrema hæc pariter accipias in sensu contrario; jam ex ea parte non quidem incongruens, sed, quæ Dei filium Patris præcepta non servasse pronuntiet; blasphema erit & impia prorsus oratio.

Ad hunc denique locum & istud observari velim. Prorsus mirabile, & insanæ cujusdam arrogantiæ plenum videri: mortales aliquos Christi servitutem professos, Christianæ libertatis obtentu, negare se illis præceptis aut oneribus legis obnoxios: quando ipse Christus Dei Filius ac Dominus noster, non modò paternis præceptis subjectus esse voluerit; verùm etiam, quò nos ad sui imitationem provocaret, de eorum, quantumvis difficilium exactissima observatione quodammodo gloriari visus sit; Ioannis 14. v. ultimo ita proloquens: *Vt cognoscat mundus, quoniam diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.*

Alibi itidem exhortans nos, ut si requiem animabus nostris invenire optemus, tollamus

mus iugum ſuum, ſeu legis ſuæ onus, ſuper nos; jugum equidem amantibus ſuave, ſed tamen iugum; & onus leve, ſed onus tamen.



CAPUT XXVII.

Refelluntur Zuinglij & Calvini ad argumentum iam propoſitum reſponſiones.

PErmoleſtum eſt adverſariis noſtris, argumentum ex verbis Salvatoris in Evangelio toties inculcatis petitum, adverſus dogma de juſtitia ſolius fidei; quod ſuperiori capite deduximus, Lutherum impugnantes. Cujus quidem ad illud reſponſio, adeò inopinata, veſana, impia apparet ex ſuis terminis, ut, ſi Lutheranus ſim, vel unicum iſtud ſufficere poſſit, ut deſertâ tam ſacrilegâ ſectâ, ad Catholicam me recipiam: eodemque modo, prudentem quemlibet, & de ſalute ſua ſolicitum, cenſeam affectum, atque animo comparatum, eſſe debere.

Et ſentiunt quidem argumenti vim, alij etiam Reformatarum ſectarum proceres: verùm ut Lutherani reſponſi invidiam declinent, mollioribus vocibus, minúſque apertis, negotium tranſigunt: quanquam, ut videbimus, perinde vanâ atque futili cavillatione.

Et Zuinglius quidem, contentus vocis perplexitate rem involvere, frigidè reſpondet, præ-

dictas ſcripturas eſſe hyperbolicas, & cum eo verbo tranſilit, diſſimulatâ, ſive ſuppreſsâ, ulteriori rei difficultate. Ipſius hæc verba referuntur, ex Tomo 2. folio 371. *Iſtæ ſunt hyperochæ & hyperbolæ: ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, & quæcunque alia promiſſa noſtris operibus facta ſunt.* Sic ille.

At nos non tam facilè acquieſcentes, quid iſtis verbis ſubeſſe poſſit, ex Zuinglio quærimus. Nam ex una parte, quid apud Rhetores hyperbole ſit, non ignoramus; & ſcripturam ſacram eâ ſubinde uti, non diffitemur; aliunde autem, quî in re præſenti locum habeat, videre non poſſumus. Etenim tūc hyperbole eſt, cùm manifeſtè veritatem excedit ſentētia, ſed ita tamen ut ipſo exceſſu, ſeu rigore verborum ſublato, aliquid ſuperſit, quod per illam intelligi volumus. Exempli gratiâ, cùm Ioannis 12. dicunt Pharisæi; totum mundum poſt Chriſtum abiiſſe; hyperbole eſt; &, ſi vox *mundus* in rigore ſumatur, manifeſtè falſa eſt oratio; ſed tamen vera eſt, quia ex uſu & intentione loquentium, iſtic eâ voce, ſolùm ſignificatur, magna hominum multitudo. Et idem apparet in eo quod ſæpe dicit ſcriptura, v. g. fuiſſe homines, ſicut arenam maris innumerabiles. Et ita de aliis.

At quando ea eſt nativa vocum ſimplicitas, ut earum germano rigoroſoque ſenſu ſublato, aſſignari non poſſit, infra rigoroſum alius quipiam, qui ex intentione proferentis, ſimpliciter verus ſit; tunc non hyperbole, ſed mendacium appellabitur. Atque ita contingit in re

præſent

præſenti. Iſtæ enim voces; *ſerva mandata*; nullum exceſſum veritatis ſignificant; quo ſublato reſtet ſenſus alius, qui verus cenſeri poſſit, ex ipſa loquentis intentione. *Matth. 19.*

Igitur dum Zuinglius, in prædictis hyperochen agnoſcit, aut hyperbolen; tantummodo voce rem involvit, revera autem difficultatem integram relinquit.

Adde: etiam ubi ſcripturæ voces, ex parte ſua pati poſſunt ſenſum hyperbolicum, non continuò, neque pro libitu, licere cuique, eum in illis ſenſum agnoſcere. Alioqui licebit Ariano in verbis illis Ioannis 10. *Ego & Pater unum ſumus*, hyperbolen agnoſcere, quemadmodum in verbis illis Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Quibus utique non ſignificatur vera unitas cordium, ſed tantùm conſenſus & concordia voluntatum. Itemque Neſtoriano; illud Ioannis 1. *Verbum caro factum eſt*; non de ſubſtantiali aut hypoſtatica conjunctione accipere; ſed de aliquâ tantùm accidentali, per inhabitationem, affectum &c. Et ſic nihil certum habebimus in divina ſcripturâ. Sed pro Zuinglio hæc ſatis.

Minùs intricatum eſt, ſed intellectu magis facile, quod ad verba Chriſti Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi*, &c. Prorſus tamen ſtolidè, & contrà quàm ferant circumſtantiæ loci, reſpondet Ioannes Calvinus: iſtas nempe voces à Chriſto pronuntiari per ironiam; deridente ſcilicet adoleſcentem à ſe quærentem viam regni cælorum, ex eo quòd ad eum effectum legalibus ſuis operibus fideret; cùm non man-

datorum obſervatio, ſed fides ſola ſit via ad cælum.

Circa quæ in-primis obſervo: cùm Ironia apud Rhetores, definiatur; allegoria, quæ non ſolùm aliud ſenſu, aliud verbis oſtendit, ſed contrarium: Calvinum hac in re, tametſi tectiùs loquentem, reipſa conſentire Luthero, dicenti; verba ſalvatoris, *ſerva mandata* &c. Sic intelligenda, ut non jubeat, ſed prohibeat, mandata ſervari. Quod cùm, ut ſuprà oſtendimus, ex ſuo genere, & natura rei, perabſurdum & impium ſit; conſequenter non eſt in iiſdem verbis agnoſcenda ironia, niſi ubi eam reipſa ineſſe, ex formâ loquendi, aut ipſius contextus circunſtantiis, manifeſtum ſit.

Oſtendamus igitur ex ipſo contextu verborum, non tantùm non exigi, aut inſinuari ironiam, ſed neque hanc poſſe cum ipſorum dictorum inter ſe reſponſu, aut orationis cohærentiâ conſiſtere.

Primùm enim, illa Calvini ſuſpicio: derideri à Chriſto adoleſcentem, quaſi nimiùm confiſum ſuis legalibus operibus: non videtur in textu fundari, ſed potiùs inſinuari contrarium. Quippe tam ingenuè ex Chriſto quærentem, quid ſibi faciendum eſſet ad conſequendam vitam æternam, apparet potiùs ſubdubitaſſe, ne fortè inſuper aliud quidpiam ad eum finem eſſet ſibi neceſſarium: parato utique promptè exequi, ſi tale quidpiam ab ipſo ei ſuggereretur.

Quod etiam vel hinc declarari & confirmari poteſt: quòd cùm adoleſcens *hæc omnia*, præcepta

cepta ſcilicet, ſeſe à juventute ſuâ obſervaſſe diceret, ſubjungatur apud Marcum c. 10. *Ieſus autem intuitus eum, dilexit eum*; id eſt, ſigna aliqua dilectionis exhibuit: qui, ſi in hoc quicquam nimiâ præfidentiâ peccaret, è contrà fuiſſet coarguendus, admonendusque, ne in præceptorum obſervatione, ſed in ſolâ fide ſpem reponeret.

Cuius contrarium, ſi ſolerter attendimus, prorſus inſinuat illa altera Chriſti reſponſio: *Si vis perfectus eſſe*, &c. Etenim qui, quærenti: *Quid adhuc mihi deeſt*; ſcilicet, ut conſequar vitam æternam; eo quo dixi, modo reſpondet; perinde ſe gerit, ac ſi diceret: Nihil quidem tibi ad eum finem abſolutè conſequendum deeſt; ſed ſi vis perfectus eſſe (non enim jam dicit: *Si vis ad vitam ingredi*) *vade, & vende quæ habes*, &c. Sic enim omnino ſupplenda videtur Salvatoris oratio.

Adde, has ipſas voces: *vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo; & veni, ſequere me*; non ironicè profectò, ſed feriò à Chriſto prolatas; non adoleſcentis tantummodò inde exortam triſtitiam; ſed, eo dilapſo, ſalvatoris ad diſcipulos ſermonem de eo, quod difficillimum ſit, divitem intrare in regnum cælorum, atque ad extremum Petri de relictis omnibus, pro Chriſto exultationem &c. ea ipſa ritè perpendenti, manifeſtè oſtendere.

Et profectò alioqui conſequenter dicendum eſſet: toties iteratam in Evangelio Salvatoris ad ſui ſequelam, abdicatis omnibus, invitationem, ironicè factam; & Apoſtolos alioſque, qui

Chriſtum

Christum eiusmodi illecti promissionibus, hac ratione secuti sint ab eo deceptos illusosque fuisse. Quod, absque blasphemia, & sacri textus tot in locis fatuâ perturbatione; nemo dixerit.

Quod si pars illa verborum Salvatoris: *Vade, vende omnia*; in sensu suo naturali ac proprio omnino videtur intelligenda; etiam quæ antecedunt in eodem sensu accipienda sunt: quia si priora in sensu contrario, & posteriora in proprio intelligerentur, non esset contextus satis cohærens, aut sibi congruens ea Salvatoris dissertatio.

Sed neque ista consideratio hoc loco videtur prætermittenda. Quod videlicet, si verba illa generalia: *Serva mandata*: explicanda sint ironicè, & in sensu contrario; perinde atque si potiùs prohibeatur ipsa mandatorum observatio; etiam mandatorum in specie, ibidem subjuncta enumeratio, similiter accipienda fuerit in sensu ironico & contrario. Ita nempe ut ea mandata, quæ ipsâ formâ locutionis negativa sunt, accipiantur ut affirmativa; perinde ac si præciperetur: Homicidium facies; adulterabis; facies furtum. Et contrà, quæ affirmativa videntur; sic accipiantur, atque si negativè diceretur: noli honorare parentes; noli proximum diligere. Quæ præter deliram temerariamque divinæ legis ita pro libitu interpretandæ, immò pervertendæ licentiam; etiam ex parte materiæ, jus omne naturale subverterent; & omnem dissolverent Evangelicæ legis harmoniam.

Nam

Nam, ut in mandato, quod postremo loco protulit Salvator, exempli gratiâ insistam; quis, iis exceptis, qui suo privato indulgentes Spiritui, & insano acti quidlibet novandi studio, (quidquid contrà prædicent) at reipsa tamen, num eorum doctrina vero ac legitimo scripturæ sensui sat consentanea sit, nihil admodum pensi habent; quis, inquam, extra recentiores sectarios non tantùm credere, sed vel in dubium revocare audeat, num fortè diligendi proximi mandatum, ab Evangelij & gratiæ lege ablegandum sit, quo nihil frequentiùs in novo testamento commendat Christus, & Apostoli sui; quod ille confirmans Matthæi 5. adversus perversam Pharisæorum interpretationem, extendit expresse ad dilectionem inimicorum; adjectâ illâ ratione: *ut sitis filij Patris vestri; qui solem suum oriri facit &c.* Quæ quidem ratio, ut suprà observabamus in re simili, neutiquam posset consistere, nisi ipsa inimicorum dilectio seriò & in proprio sensu præciperetur; ad quod denique ipse Salvator, eà verborum inculcatione in sermone post cœnam, iisque temporis circumstantiis, quæ nullam profectò simulationem paterentur, tanquam ad proprium sibi præceptum exhortans discipulos suos: *Mandatum novum* (inquit) *do vobis*: (observa, lector, verborum energiam) *ut diligatis invicem, sicut di-* Ioa. 13.
lexi vos. Et mox: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Et multo inferiùs: *Hoc est præceptum meum* (*meum*, inquit, & non Moysis tantum) Ioa. 15.
ut diligatis invicem. Quæ, & his paria, adeò clara

clara & expressa sunt, ut siquis putarit ea ad sensum ironicum trahi aut detorqueri posse; nihil futurum sit in universo Evangelio, quod non similiter eludi atque perverti possit.

Quò jam nihil opus sit, eum in finem, aut Joannis loca in epistola sua prima, quæ tota ferè est de dilectione fraterna, studiosiùs accumulare: cujus quidem præceptum & vetus & novum appellat, addens eum, qui fratrem non diligit, manere in morte; aut etiam ad Paulum eâ gratiâ recurrere; qui, inter cætera, dilectionem proximi ita commendat, ut eam dicat esse plenitudinem legis; Evangelicæ scilicet, uti paulò pòst demonstrabimus.

Iam autem, ut inde, petitam probationem impleam: si in illo Christi cum adolescente sermone, dilectionis proximi mandatum, non ironicè, sed seriò commendatur à Domino; manifestum est, ita exigente contextus cohærentiâ, cæterorum quoque, quæ uno tenore, eadémque sermonis formâ commendantur, observationem seriò ac propriè præcipi; & consequenter ipsum generale, de servandis mandatis edictum, nullâ veri specie, posse irrisoriè accipi.

Cæterùm, quod de Apostolo Paulo insinuabam, placet eum ipsius locum specialiter exponere; non jam eo nomine tantùm, quod dilectionem proximi commendat; sed eò maximè, quod, ut ego quidem persuasissimum habeo, is, vel solus etiam, atque unicus possit, si rectè & absque præjudicio expendatur illud Novatorum de justitia solius fidei commentum, peremptoriè conficere ac jugulare; atque eâ basi Religionis reforma

reformatæ convulsâ ipsam Religionem velut ab imo concutere.

Rem, velut apparet, magnam spondeo, sed lite non longâ nec difficili, apud æquos judices, quantum arbitror, obtinendam.

Verba Apostoli, quæ producimus ex Epistola ad Romanos c.13.v.8. ecce sunt ista. *Nemini quidquam debeatis; nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis; non occides &c. & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximũ tuũ, sicut teipsum.* Ex quo mox infert, quod suprà insinuabamus: *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Quibus verbis, ut vides, Romanos Christianos hortatur & invitat Apostolus ad debitam dilectionẽ invicem præstandam; eâ ratione, seu incitamento: *qui enim diligit proximum, legem implevit:* Quæro nũc ex Luthero, Zuinglio, aut si quis est qui eorũ partes in proposito sustinere velit: quæro, inquam, ex illis: quam legem putent his verbis ab Apostolo intelligi? Eamne, quæ olim Hebræis data, illos ad sui observantiam obligavit, sed quæ nunc adeò non liget Christianos, ut eius obligatio illis potiùs perniciosa futura sit? At fatuus sit, eâ in hypothesi, qui nos hac ratione ad aliquid faciendum incitet: non minùs quàm si diceretur, quòd hac ratione, essemus Iudæorum Thalmud, aut Mahumeti Alcoranum impleturi. Agit ergo Paulus de lege aliquâ, etiamnum vigente, & cuius etiam Christianis incumbat obligatio. Quæ ex eius mẽte, est ipsa lex divini Decalogi; ut patet ex eo, quòd mandatorũ ipsius legis, de qua loquitur, exempla proferens; adducat præcepta secundæ

tabulæ

tabulæ Decalogi : *Non adulterabis ; non occides ; non furaberis.* Eo ferè modo, quo Salvatorem suprà vidimus adolescentem illum, Matthæi 19. informantem.

Per quæ manifestè, & prorsus, exploditur, quod isti dicunt, eam esse libertatem Evangelicam, ut nulla sit apud Christianos lex aut justitia, nisi fidei; sed è contra efficitur adhuc Christianos teneri præceptis Decalogi; nec verò, ut anteà blasphemantem audivimus Lutherum, ipsum Decalogum omnis hæresis fontem esse.

Iam verò, ex eâdem ipsâ ratione, qua utitur Apostolus dicens, eum qui diligit, legem implesse; eam videlicet quæ proximum spectat, de qua nominatim & directè istîc agit Apostolus: non minùs apertè perimitur illud, quo inter cætera, ijdem utuntur, ad ironicè explicandas Scripturas Novi Testamenti, quæ mandatorum legis observantiam videntur expressè præscribere; quòd nempe dictitent mandata Dei esse observatu impossibilia. Quam blasphemiam apertè refellunt prædictæ Apostoli voces: quoniam qui legem Decalogi (quâ parte saltem proximum respicit) per eum qui diligit, dicit impleri, hoc ipso testatur præcepta illa, esse observatu possibilia; cùm legem implere non sit aliud, quàm illam integrè observare. Eodémque spectat Apostolicum illud epiphonema: *Plenitudo ergo legis est dilectio*; quo significatur, per dilectionem impelli hominem, ad legem plenè atque perfectè observandam. Dicente idcirco ad hunc ipsum locum Tertulliano

lib. 5.

lib. 5. contra Marcionem cap. 14. *Meritò totam Creatoris disciplinam, principali ejus praecepto conclusit: Diliges proximum tanquam te.*

Igitur ex eo Apostoli loco, firmiter adstructâ & stabilitâ legis Decalogi inter Christianos etiamnum vigente, & ex consequenti; bonorum operum, quæ eâ lege præcipiuntur, necessitate & justitiâ; multò autem magis eorundem præceptorum, etiam ultimi: *Non concupisce*; quod inter alia nominatim istîc recensetur à Paulo, quoad observantiam morali possibilitate: manifestum evadit, quod demonstrandum susceperamus, Idolum illud Religionis reformatæ, justitiam inquam solius fidei, funditus subrui ac corruere; & illam (ut ipsi agnoscunt) Ecclesiæ suæ tanquam animam, peremptoriè elidi ac suffocari.

Verumtamen, etsi, quæ toto hoc capite, adversus Calvinum in prædictis Salvatoris verbis ironiam somniantem prolixè deduximus; satis clara & efficacia sint; placet tamen & hanc rationem meo judicio non contemnendam, iis confirmandis ad extremum superaddere: sermonem nimirum, ijs circumvestitum circunstantiis, in quibus etiam prudens auditor, nulla ratione credere, aut suspicari possit, eum qui secum agit, fictè seu ironicè loqui, non jam derisionem rationabilem, sed fallacem deceptionem esse; præsertim cùm de re, quæ audientis plurimum intersit, agitur. Id autem in re propositâ locum habere, ut cùm maximè; confestim intelliget; qui id quod subjungo, quod per se clarum, & in confesso est, etiam apud adversa

adverſarios, attenderit; legem nimirum Decalogi, tantâ accuratione digito Dei ſcriptam, tantâ ſolennitate à Moyſe populo promulgatam, non ironicè profectò aut præſcriptam, aut promulgatam; ſed juxta tenorem ſonúmque verborum reipſa obligaſſe Hebræos, eóque ſenſu ab illis receptam & obſervatam: Eámque porrò, ſeu perſuaſionem, ſeu obſervantiam; ad Chriſti ætatem perduraſſe, vel inde eſſe manifeſtum; quòd Scriptura, etiam per id tempus, volens aliquos, putà parentes Præcurſoris, commendare à juſtitiâ, dicat illos inceſſiſſe in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querelâ: itémque ex eo quòd Chriſti parentes dicantur perfeciſſe omnia ſecundùm legem Moyſi. Eâ autem, quam dixi, communi & juſtâ, apud Iudæos perſuaſione ſuppoſitâ: potuitne quiſquam, qui Chriſtum de via ſalutis interrogans, ab illo audiret: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: Eas voces aliter, quàm in ſenſu proprio, & ab omnibus recepto, intelligere? Aut ipſe Chriſtus, ſi veri Magiſtri fungeretur officio, eas ſimpliciter proferens, in ſenſu alieno proferre? Quod apud quemlibet prudentem, non eſſet docere, ſed decipere, & ſuppoſitâ adverſariorum opinione, non viam ſalutis, ſed perditionis indicare. Qualiter reipſa feciſſe Chriſtum, verbis ſummam impietatem præferentibus, ſignificaſſe fertur Ioannes Brontius, homilia 1. in Dominicam 3. poſt Trinitatem; dicens: *ita adoleſcenti reſpondiſſe Chriſtum; ut ei potiùs viam ad æternam damnationem indicaverit.*

Luc. 1.

CAPVT



CAPUT XXVIII.

De eo, quod ex doctrina suâ infert Lutherus: solam infidelitatem esse peccatum.

COmplura ex illo, de solius fidei justitiâ, principio, partim à nobis inferri possunt, partim reipsa à sectariis inferuntur; tum per se absurda, tum verbo Dei apertissimè repugnantia. Quorum aliqua hoc loco discutiemus; ut magis appareat; quàm infectus sit fons, ex quo tam pestilentes rivi promanant.

Primùm, sit illud, quod tanquam consequens, ad fundamentalem illam prætensæ Reformationis, de fidei justitiâ, doctrinam, intrepidè pronuntiat Lutherus: *Solam infidelitatem esse peccatum.*

Quod vel ipso auditu, non modò paradoxum, sed etiam paralogum est; adeóque à sensu communi, non Christianorum duntaxat, sed etiam Gentilium sapientum, abhorrens, ac denique tam capitaliter ipsi verbo Dei, atque universæ Christianæ disciplinæ repugnans, ut mirum sit in ejus Doctoris, quamvis alioqui insolenter audacis, mentem ac calamum potuisse incidere; mirabilius autem, ab aliquo rem intelligente; quantumvis ei sectæ addictissimo, in Doctore suo, dissimulari, aut patienter tolerari posse.

Verumtamen vel hîc valere potest, quod ipsi

Luthero generatim exprobrat, quamvis in ipso fundamento consentiens, Zuinglius, Tom. 2. in responsione ad confessionem Lutheranam: *Lutherus*, inquiens, *obstinato animo, conceptam semel opinionem, persequi & obtinere conatur; nec multùm curare solet, quodcunque tandem de re quavis pronuntiet; etiamsi vel sibi, vel divini verbi oraculis contradicere deprehendatur.* Sic ille.

Porrò hæc Lutheri, non uno loco, expressa & clara doctrina est. In primis enim, contra Ambrosium Catharinum, apud Coccium, disertè pronuntiat: *Nullum est peccatum, nisi incredulitas.* Explicatiùs autem in locis communibus, Classe 5. cap. 17. *Sicut præter fidem nihil justificat: Sic nihil præter infidelitatem, peccatum est.* Et in 2. Parte postillæ Germanicæ, editionis Argentinensis anni 1537. *Nullum peccatum tantum est, ut possit hominem damnare; sola enim infidelitas, quotquot damnandi sunt, damnat.* Postremò, in libro de captivitate Babylonica, Tit. de Baptismo, Tomo 1. Latino Vittembergensi. *Vides quàm dives sit homo Christianus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam, nisi nolit credere: nulla enim peccata possunt illum damnare, nisi sola incredulitas.* Ita ille Quinti Evangelij Evangelista.

Quæ interim doctrina, uti prædixi, cum toto novo testamento adeò manifestè pugnat, ut ei funditùs subruendæ, sufficere possint aliquot Apostoli loca, tam expressa & fortia, ut nullâ possint tergiversatione declinari.

Is enim in primis cap. 5. Galatas alloquens:

Spiritu

Spiritu, inquit, *ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Et Paulo pòst: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt; fornicatio, immunditia, impudicitia*, & alia plura quæ enumerat, à peccato infidelitatis, longè diversa, de quibus subdit: *quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*; & quod hinc consequens, æterno igne damnabuntur.

Deindè, itidem ad Ephesios 5. cap. *Fornicatio autem & immunditia, nec nominetur in vobis; sicut decet sanctos.* Et mox. *Hoc enim scitote intelligentes; quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Subdit denique: *Nemo vos seducat inanibus verbis* (dicendo scilicet hæc peccata non esse; sicut Lutherus &c.) *propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

Primæ Cor. 2. capite, pari efficacitate verborum: *Nolite errare*, inquit, *neque fornicarij, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt: Et hæc quidam fuistis;* (cùm viveretis in Gentilismo videlicet) *Sed abluti estis; sed sanctificati estis*; atque adeò jam (quod subintelligendum est) aliter vos, instituente Christianâ lege, non ampliùs tales estis. Quò illud pertinet, quod idem Apostolus Ephes. 4. *Hoc igitur*, inquit, *dico & testificor in Domino: ut iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant; qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ* &c. *Vos autem, non ita didicistis Christum.* Hæc ille.

O 2 Sed

Sed miserum sanè est, ingratique laboris; oportere nos tantum operæ ponere, ut veritatem in sacris libris sole ipso clariorem, demonstremus hominibus voluntariè cæcutientibus; & qui, quò ampliùs urgentur, hoc magis retrusi in semetipsos, suis se ament obvolvere tenebris. Quando & alioqui; vel ipsa supremi Iudicis adversus reprobos pronuntianda sententia sufficere possit ad eam insaniam revincendam: ex quâ nimirum manifestum est, illos non ob solum fidei defectum damnandos; quia, ut in rem nostram observat S. Augustinus libro de fide & operibus cap. 15. *non increpat* (nec damnat illos) *quia in eum non crediderunt*; *sed quia bona opera non fecerunt*: eorum utique iudicium, separationemque propriè describens, *qui in Christum crediderant, & permixti iisdem Ecclesiæ pascuis utebãtur.* Ex quo rectè infert S. Doctor: *Si illi qui opera misericordiæ non fecerunt, ibunt in ignem æternum*; multò magis ituros illos, qui aliena rapuerint; aut alio aliquo atrociore facinore, conscientiam suam constrinxerint.

Quid enim, exempli gratiâ, siquis è Lutheri disciplinâ, fidelis quidem, ut ipsi autumant, aut Deum ipsum odio habeat, aut in Christum jaciat contumeliam, aut parentes, patriam, Regem ipsum, disperdere cupiat: *nunquid poterit fides salvare eum?*

Iac. 2. Ad quæ, & his paria, equidem non apparet, quod, vel cum aliqua rationis umbra, reponi aut responderi possit.

Neque verò credam, exstiturum quemquam adeò insipienter impium, ut, vel memoratas

Aposto li

Apoſtoli voces, tam affirmatè & exaggeratè prolatas; vel ipſam etiam, in iudicio extremo, à Chriſto pronuntiandam ſententiam, audeat dicere, non in proprio naturalique ſenſu, ſed in hyperbolico, ironico, ac denique contrario, eſſe intelligendam. Tanquam reipſa damnentur reprobi, eò quòd opera fecerint; & electi ſalventur, ex hoc quòd illa neglexerint. Atque in hunc ſenſum exponenda ſit Iudicis ſententia: *Venite, benedicti; percipite regnum: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare. Ite maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.*

Quod, quanquam, & cogitatu ſtultum, & dictu blaſphemum, apud quemlibet verè Chriſtianum, illico viſum iri credamus; non tamen fortaſſis longè abeſſet à mente Lutheri: quando, & eúm ſuperiùs vidimus, docere auſum non conducere, ſed è contrà pernicioſa eſſe; eaque de causâ, ſermone de novo teſtamento, ſive de Miſſa auſus ſit dicere: ampliùs cavendum ab operibus bonis & legibus quàm à peccatis; eúmque inſuper audire liceat, epiſtola 238. Melanchthonem ſic adhortantem: *Eſto peccator, & pecca fortiter &c. Sufficit enim quòd agnovimus, per divitias gloriæ Dei, agnum qui tollit peccatum mundi: ab hoc enim nos non avellit peccatum, etiamſi millies, uno die fornicemur, aut occidamus.* Sic ibi. *To. 1. ep. lat.*

Quâ ex occaſione, obiter quidem, ſed cordatè tamen, attendere te velim, optime lector, quàm capitaliter inter ſe diſſideant, hi duo Apoſtoli; Paulus ſcilicet, germanus Chriſti

Apoſtolus ; & Lutherus (quod quidem ex ipſa cum Apoſtolo Chriſti manifeſtâ diſſenſione conſequens eſt) Apoſtolus , ſive emiſſarius, Antichriſti.

In-primis ſiquidem clamantem audivimus Doctorem gentium, ſeveriſque verbis admonentem Epheſios,tametſi fideles , & (ut ipſe loquitur) ſanctos : *Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator , aut avarus , non habet hæreditatem in regno Chriſti.* Clamat, ſeu reclamat, Reformatorum Pſeudo-Apoſtolus , & quando ita inferis placet perdoctus Doctor (hoc enim titulo ſeſe à Diabolo ornatum memorat , ſecum de abroganda Miſſa diſputante) ſuoſque fideles hortatur , ut fortiter peccent ; ex eo quòd à Chriſto illos non avellat peccatum , etiamſi millies , uno die aut fornicentur , aut occidant.

Rurſum Coloſſenſes cap. 1. hortatur idem Apoſtolus ; *ut ambulent dignè Deo , per omnia placentes , in omni opere bono fructificantes.* Contrà inſurgit , incitatque ſuos Lutherus , ut caveant quidem à peccatis , ſed maximè à bonis operibus.

Ad hæc : Hortatur , ſtudioſéque commonet Romanos , cap.6. Sanctus Apoſtolus : *ſicut exhibuiſtis* (in Gentiliſmo videlicet) *membra veſtra ſervire immunditia & iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra veſtra ſervire iuſtitia in ſanctificationem.* At contrarium ſuadet Lutherus : dicens , è diverſo ; *quo quis ſceleratior eſt, huic Deum citiùs infundere gratiam ſuam.*

Sermone de piſcatura Petri.

Poſtremo , his verbis cap. 13. eoſdem Romanos

manos informat B. Apostolus: *induimini Dominum IESVM-CHRISTVM*; ipsius nimirum vitæ sanctissimæ; operumque exemplis, vos obvolventes; eumque hoc modo repræsentantes. Lutherus, præter fidem docet, omnia esse indifferentia; neque inter legendum Evangelium intuẽdum in opera, sive exempla Salvatoris; eoque nomine, sibi præ cæteris, placere Ioannis Evangelium; *quòd pauca habeat de operibus Christi.* *In 2. præf. novi testam.*

Quæso vos amici; estne istud, quod assiduè jactatis vos reipsa sectari, tuerique purum verbum Dei? an è contrà, divinæ scripturæ sanctitatem fœdo sacrilegio contemerare, ipsius autori inverecundè illudere, & prorsus contraria obtendendo, Evangelium Christi, in Antichristi Alcoranum deformare.

Attamen ultra hæc, in antea relatis generalibus Lutheri verbis quiddam latenter inest, cujus specialis indignitas atque fæditas, digna est, quæ hîc speciatim inspiciatur, & apertam proferatur in lucem.

Nam hactenus quidem audiebamus; Calvinum & quosdam alios, eâ in materiâ ita Philosophantes; ut dicerent; fidelibus quidem nulla peccata imputari; omnia autem imputari infidelibus. In quem sensum scribit ipse Calvinus Instit. c. 8. §. 58. &c: *omnia peccata esse mortalia infidelibus; fidelibus; omnia venialia.* Quod etsi falsum sit, uti dicemus, minùs tamen videri poterat à recta ratione abhorrens. At ecce nunc ex Luthero discimus, ne ipsis quidem infidelibus alia quævis peccata imputari ad pœnã.

Ipſo videlicet generaliſſimè pronuntiante; quod ſola infidelitas, quotquot damnandi ſunt, damnat: nec minùs generaliter aſſerente; quod ſicut præter fidem nihil juſtificat; ſic nihil præter infidelitatem peccatum eſt; & conſequenter nihil præter illam, hominem damnat.

Et quamvis ſubinde videatur reſtrictè loqui de Chriſtianis: attamen alibi, veluti viſum eſt, generaliſſimè loquitur; & cùm dicat, *omnes qui damnantur* (quales juxta illum ſoli ſunt infideles) conſequens eſt illum etiam de infidelibus intelligi. Idque neceſſariò, ex proprio ipſius principio; quo nimirum docuit, legem Decalogi ſolùm obligaſſe Iudæos:neque proinde nunc ſupereſſe legem moralem, cujus violatio, apud quoſcunque peccatum ſit.

Ex quo præter apertam cum recta ratione & apertiſſimis, præſertim apud Apoſtolum, verbi divini verbis, repugnantiam;illud continuò inferri poſſit abſurdiſſimum: fieri poſſe, ut ſceleſtiſſimus quiſque reproborum, non majori,quin & mitiori, pœnâ damnetur; ſi, ut fieri poteſt, non majorem culpam,aut etiam minorem, infidelitatis contraxerit. Contra illud Chriſti Matth. 16. *Tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Et illud Apoſtoli; *ut referat unuſquiqueꝑropria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* 2. Cor 5.

Vt hîc non exaggerem,tam iſtis, quàm illis, ſummam indulgeri ſceleratè vivendi licentiam, eamque & majorem, quàm quiſquam Gentilis,quantumvis Epicuræus Philoſophus,ſectatoribus

ribus suis permiserit; de quo redibit sermo, Pronuntiato sequenti.

In cujus tamen expositione, præmoneo, studiose lector, nihil te nisi tortuosum, perplexum, absurdum, inopinatumque expectare debere. Ita enim eo in argumento, non inter se duntaxat Cadmæâ pugnâ confligunt, ex eiusdem draconis dentibus prognati homines; sed, quod non vanum est falsitatis & mendacij indicium, illorum quisque secum ipse pugnat, suoque se gladio conficit.



CAPUT XXIX.

De opposito sectariorum pronuntiato; omnia etiam fidelium opera esse peccata, eaque per se mortifera.

ALterum igitur, in rem præsentem discutiendum, idque cum præcedenti è diametro pugnans, est Novatorum istud, ac præsertim Calvinistarum, pronuntiatum. *Iustum, seu fidelem, in omni opere suo, etiam bono peccare mortiferè: id tamen ei non nocere, neque à Deo imputari.*

Calvini loca pòst citabimus. Priùs enim mihi conveniendus est progenitor eius Lutherus; & in eius dictis, ostendendum quiddam profectò inextricabile, in eo nimirum; quòd cùm, eum jamjam audierimus, adeò solenni præconio proclamantem: *solam infidelitatem esse*

esse peccatum;eundem modò ostendere possimus; in eo, quo de agimus, pronuntiato, idem Calvino sentientem. Sic enim in-primis, expressè tradit in Assertionibus, artic. 31. *Iustus in omni opere bono peccat.* Referturque Tomo 1. operum Lutheri editionis Vvittembergensis, anni 1558. Opusculum eius hoc Titulo: *Quod iustus, etiam inter bene operandum, peccet.* Quod etiam fortiùs expressit ex discipulis ejus Melanchthon in locis communibus: *Omnia*, inquiens, *hominum, quantumvis laudabilia opera, planè vitiosa sunt, & morte digna peccata.*

Neque enim ista Lutheri dicta possunt conjunctim consistere; nisi consequenter admittatur iustū in omni opere suo peccare infidelitate:quod & per se absurdum est; et incredibile; neque si subsisteret hypothesis; quia alioqui, ita peccans iam fidelis esset; quia sic supponitur; & non esset fidelis, quia peccaret peccato infidelitatis.

Neque verò tantùm dixit Lutherus, quod ei tribuit Vvitrakerus libro de Ecclesia p. 301: *Siquis actum fidei habeat, ei peccata non nocere*, sed expressis inculcatisque verbis; *præter infidelitatem, nullum peccatum esse.*

Aliunde autem subsistere nequit eadem Lutheri propositio: *Iustum in omni opere suo, etiam bono, peccare.* Si nempe audimus; virum eruditum; & gente Anglum, Ioannem Berleium, in Apologia Tract. 2. cap. 2. sect. 18. §. 4. & alibi, testantem: Lutherum in libro, quem ipse refert Anglicè scriptum, docuisse: *opera ab operante bonitatem sumere, & quod nullum*

opus

opus Deo, displicet, nisi auctor eius prius displiceat. Tandemque quod: *Bonus nil nisi bonum operatur; nec potest esse non bonum, quod ille iam bonus operatur.* In quem item sensum profert idem auctor, è sectariis Musculum, in locis communibus pag. 28. ita loquentem. *Sciendum est, magis in hac causâ, personas peccantium quàm peccata, esse consideranda.*

His enim positis, & his quasi membris in unum compactis, quodnam doctrinæ monstrum necesse sit demum existere? consequens quippe erit; & opera bona ab homine fideli & iusto exercita, mala esse; quia nempe iustus in omni opere suo peccat, priori propositione; & è contrario, opera mala ab eodem exercita, bona esse; quia, ut jam additur, non potest esse non bonum, quod bonus seu iustus operatur: ex quo denique fiat, tam hæc, quàm illa, in sui exercitio, simul & bona & mala esse.

Quo ex Labyrintho, his quidem positis, nescio cuius fili beneficio, sese Lutherus extricaverit.

Iam autem ad Calvinum quod attinet; quamvis non tam apertè videatur pugnantia dicere, tamen in hoc ipso, quod docet omnia iustorum opera, per se spectata, & seclusâ Dei misericordiâ, peccata esse; & absurdè loquitur, nec est sibi ipse usquequaque consentiens.

Audiantur hæc eius verba, lib. 3. Instit. c. 14. §. 9. & sequentibus. *Habemus, nec unum à sanctis exire, opus quod si in se censeatur, non mereatur*

reatur iustam opprobrij mercedem. Et mox : *nos cum omnibus nostris conatibus & studiis , morte & interitu dignos esse.* Tandemque cap. 20. §. 43. universè asserit : *nihil ex nobis prodire nisi vitiosum.*

In quibus in-primis satis absurdum & mirabile est ; homines sanctos ; Deoque dilectos, velut filios charissimos; & quos, ut loquitur Apostolus ad Ephesios 1. *gratificavit in dilecto filio suo* , si spectentur , cum suis quibuscunque operibus , in Dei conspectu , morte & interitu dignos esse : Neque ab his quicquam prodire posse, non vitiosum, aut quod Deo placeat: frustra jam scribente ad Colossenses cap. 1. eodem Apostolo: *ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes*; & mox etiam subjungente, *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum &c.*

Et profectò vel ipsâ naturâ rei , seu operum ipsorum conditione spectatâ : quis prudens sibi inducat in animum: hominem iustum, pro gratiæ sibi à Deo communicatæ viribus , diligentem Deum, ut summum bonum, aut etiam credentem Deo &c. hoc ipso conatu mortis reatum incurrere? Rursumque nec posse, nos , iuxta præscriptum Salvatoris, à Deo petere nobis dimitti debita nostra, quin hoc ipso actu committamus novum peccatum , & novo debito , nos interitu dignos reddamus ? Hæc qui sincerè & ex animo pronuntiet, eum arbitror , quid rei dicat, ignorare.

Quapropter & ipsum Calvinũ videas, quò prædictæ suæ assertionis invidiam ex parte declinet,

aut

aut temperet, sibimet non satis congruentem, lib.3. inst. c.15. §.3. ita se exponere;ut admittat: *Placere Deo* (iustorum) *opera bona,nec suis autoribus infructuosa esse : quin amplissima Dei beneficia remunerationis loco referre.* Etsi confestim addat, veluti rediens ad ingenium : *non quia ita merentur : verùm, Dei largitatem ;, nihil tale merentia opera, indebitis præmiis munerari.*

Quod interim, neque verbis Christi satisfacit,assiduè in Evangelio mercedem reddendam bonis operibus testificantis, quâ voce non significatur, donum aliquod immerenti collatum: Apostolo item illam appellante coronam iustitiæ : neque verò sufficit,ut prorsus tollatur inhærens ipsius Calvini dictis contradictio : cùm, ea opera quæ ante dixerit,esse de se morte & interitu digna ; jam dicit, placere Deo, nec esse autori infructuosa, inquantum contingit, ex ipsa Dei largitate, illa ab eo mercedem accipere. Atquæ hæc de eius pronuntiati parte priore.

In cuius autores,iis quæ deduximus perpensis, merito illud Isaiæ cap. 5. verbum intorqueas: *Væ, qui dicitis, malum, bonum ; & bonum, malum ; ponentes tenebras, lucem ; & lucem, tenebras &c.* Quid enim aliud isti faciunt,pro animi sui libidine, cuncta miscentes, ac pervertentes ?

Iam verò circa id quod ibidem addunt;peccata scilicet non nocere fideli:non minores extant verborum ambages, nec dispar dissensio sententiarum.

Id

lius Diaboli sit; at verò Dei filius peccatum non faciat, quamdiu est, & persistit esse filius Dei.

Propter hæc igitur, plures eiusdem scholæ à Beza dissentientes, dixerunt: Davidem v.g. adulcerium committentem, amisisse spiritum Dei; in quo tamen in-primis ab ipso Calvino apertè recedere visi sunt; Harmonia in Matthæi caput. 13. (ut antea quoque monuimus) sic proloquente: *Cordibus fidelium semel infixa Dei veritas nunquam effluit, sed usque in finem viget.* Et infrà: *Porrò ut nunquàm extinguitur Spiritus ille; ita & fidem, quam semel insculpsit piorum cordibus, evanescere & perire, impossibile est.* Ita Calvinus.

Deinde, cum ad modum devenitur, quo ea peccata, tametsi peccantes ipsâ iustitiâ atque spiritu Dei priventur, fidelibus tamen non noceant, hîc rursum ambages anfractusque inexplicabiles; quemadmodum necesse est eos, in avia & cœcos errores incidere, qui verum iter amiserint.

Quam in rem in-primis adferri potest; quod cripsisse fertur!, quidam Vvottonus in Responsione ad articulos Papisticos: *peccatum fideli non nocere; quia*, ut ait, *remittitur, quàm citò committitur.* Quod quidem hunc sensum habere posset, ut censeatur illico remitti, non eo instanti quo committitur, si revera privet Spiritu Sancto & Dei gratiâ, sed proximè postquam commissum est, Deo illum statim in gratiam suam recipiente. Verùm aliud sonat, quod alibi expresè dicit: *fideli simul remitti peccata præterita,*

etiam ea, quæ ex objecto (veluti loquimur) bona censentur, peccata sint; & quidem n.. tifera; in quantum (ut ait lib. 2. inst. c. 8. §. 59.) *omne peccatum est adversus Dei voluntatem rebellio, quæ eius iram necessariò provocat*; consequens est illos, vel in quibuscunque actibus suis, retinere statum iustitiæ, Deo peccata illis non imputante; vel quidquid faciant, semper carere iustitiâ, & in statu peccati remanere Ex quibus apparet, quâcunque in partem se vertant novatores isti, eos in meris tenebris & caligine cæcâ ambulare.

Vt jam non exaggerem, quod suprà insinuavimus, & manifestum erit consideranti eam Philosophandi rationem omni licentiæ, & corruptelæ morum, fræna, laxare. Nam quo tandem, fræno a licentia vitæ coercebitur in conspectu Dei, qui persuasum habeat nullo, se peccato damnationis reatum incurrere; immò nec idcirco, vel ad momentum excidere gratiâ Dei.

Sed ecce hîc nobis novus Labyrinthus occurrit, nec dissimulanda doctrinæ istorum inconsequentia. Pro quâ ad extremum, observari velim, quod in Calvinistarum Catechismo à Francisco Feuardentio, libro 8. Theomachiæ, Latinè conversо, & digno commentario, castigato, præscriptum invenio in rem præsentem. Ibi quippe cap. 1. cui titulus, *De precibus &c.* videas eius sectæ fideles, sese in hunc modum in conspectu Dei accusare. *Assiduè & sine intermissione, tua transgredimur præcepta. Quod dum facimus, perniciem nobis creamus atque interitum. Velis*

 igitur

igitur nostri miserescere, Pater benignissime, delens omnia peccata nostra &c. Ita illi prætensi Reformati, & nimirum secundùm puritatem Evangelij vitam instituentes. Sed quàm consentaneè reliquæ doctrinæ suæ, breviter hoc loco attendendum est.

Primùm enim libens intelligam; quomodo possint trangressionis præceptorum Dei, seu divinæ legis, sese apud Deum reos agnoscere: nisi adhuc vigeat, ipsosque liget divina lex? Quod omnino negant, ipso etiam Calvino libro 3. Instit. capit 19. §. 2. expresse profitente; ad Christianam libertatem pertinere, ut *fidelium conscientia, sese supra legem erigant atque efferant, totamque legis iustitiam obliviscantur.*

Etenim qui supra legem est, non est subditus legi; & manifestum est, neminem peccare, nisi qui transgreditur, aut facit contra legem, se obligantem,

Deinde non satis intelligitur; quâ ratione fideles illi seriò divinam misericordiam implorent, ut deleat ipsorum peccata; quæ intelligant, jam sibi remissa, virtute Baptismi olim suscepti; itemque hoc ipso quod fideles sunt, sibi reipsa non imputari ad pœnam.


Denique si verum est, quod dicunt; sese assiduè & sine intermissione, transgredi præcepta Dei, eoque perniciem & interitum sibi creare: difficulter sanè intelligi potest, quod infrà subdunt n.31. *Crescimus in fide, quæ in omnibus bonis operibus operatur.* Adjunctâ præsertim illâ aliâ ipsorũ doctrinâ,

doctrinâ; quâ affirmant omnia fidelium bona opera, si per se spectentur, opprobrio & pœna digna esse. Atque hæc contra Calvinistas.

Verumtamen hæ ipsæ Catechismi Calviniani voces; in memoriam me revocant affinium Lutheri verborum, relatorum à Tannero, ex commentario in caput 1. Epistolæ ad Galatas; quibus nimirum docet: quemlibet suæ sectæ fidelem, in periculo & pugnâ mortis, verè ac seriò profiteri posse ac debere: *nihil se habere præter peccata, eaque vera & gravissima, nō ficta & inania; videlicet summam infidelitatem, dubitationem, contemptum Dei, odium, ignorantiam, blasphemiam Dei* &c. Quæ nimirum est istorum hominum religionis reformatæ præclara sanctitas.

Sed præterquam quòd hîc confestim appareat illa, quam modò Calvinistis objectabamus, fœdissima doctrinæ inconsequentia: quî nimirum possit tam variè peccari ab istius sectæ fidelibus, si velut toties inculcātem audivimus Lutherum, ab omni lege, & obligatione contrariarum virtutum, prorsus liberi sint; nominatim autem si hæc attendimus ipsius verba in caput 2. eiusdem Epistolæ ad Galatas; *sola fides Christi, necessaria est, ut iusti simus, cætera omnia liberrima sunt; neque præcepta, neque prohibita.* Ex quo statim sequitur: quodlibet aliud licitum esse, quomodo ergo peccant, qui quod licet faciunt? Præter hoc, inquam, triplicem aliam, in his pauculis verbis deprehendo cum ipsâ Lutheri doctrinâ repugnantiam.

Primùm enim quæram ex Luthero, quomodo tot modis specialiter peccare possint sui



CAPUT XXX.

De altero Lutheri corollario: timorem divinorum iudiciorum, fidelium cordibus, non à Deo sed à Diabolo immitti.

Cæterùm his, quæ per plura capita studiosiùs deduximus, confirmandis ac concludendis, placet & hoc alterum Lutheri pronuntiatum, eodem fundamento subnixum proferre, atque convellere: nimirum, timorem divinorum iudiciorum, fidelium conscientiæ incussum, non à Deo, sed à diabolo ortum habere.

Ita enim illum claris verbis loquentem audias, Tomo 1. Germanico Vvittembergensi, folio 273. §.3. *cùm tibi venit in mentem Christi velut Iudicis, qui te villicationis, sive actæ vitæ, rationem reddere iussurus sit, tum pro certo & explorato habeas, eum non Christum, sed ipsissimum esse diabolum.* *Apud Fitzimon l.1 Britan.c.19.*

Quò itidem facit, quod in Postilla Dominicæ 6. post Trinitatem tradit his verbis: *Hoc discamus & bene notemus; ne mortem & extremum iudicium metuamus. Nec enim venturus est Christus, ut nos iudicet: sed qui non credunt, illos iudicabit.* Cui Patriarchæ sui dicto subscribere velle visus est Calvinus, harmoniâ in caput Matthæi 27. *Neque enim* (inquiens) *timendum est, ut in Dei iudicium ampliùs veniant peccata nostra, à quibus tam pretiosa mercede nos absolvit Dei Filius.*

Quæ rursum Lutheri doctrina, tot Scripturæ

locis manifestè convincitur; ut nisi quis per insanum contemptum, ironicè rursus illos excipiendos existimet, nulla possint arte declinari, aut pertinacia eludi.

Nam exempli causâ, nunquid ipsemet Christus, & non diabolus, Matth. 10. discipulos suos, utique jam credentes, ejusmodi timore injecto, ad constantiam in cruciatibus incitabat, dicens: *Timete eum qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam?* Atque beati Apostoli, Petrus & Paulus, utique ex Dei, & non diaboli spiritu, eodem timore incitabant fideles, ad quos scribebant. Vti videre est 1. Petri 1. ubi mentione injectâ Dei judicantis secundùm uniuscujusque opus; consequenter additur: *In timore incolatus vestri tempore conversamini.* Et cap. 4. *Si justus vix salvabitur: impius & peccator ubi parebunt. Itaque & hi qui patiuntur, secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.* Prioris ad Corinth. 10. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et posterioris cap. 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, &c.* Et mox: *Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus.* Tandémque ad Philippenses 2. *cum metu & tremore salutem vestram operamini.*

Denique ipse Paulus, non, opinor, ex ipsissimi diaboli, sed spiritus divini suggestione, salutari illo divinorum judiciorum timore, semetipsum stimulabat: cùm 1. Cor. 4. ita scriberet: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem me judicat, dominus est.* Et cap. 7. *Castigo corpus meum, & in servitu-*

tem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar. omitto alia.

Etenim eæ res, divinas Scripturas, absque ullo mentis in adversam partem præjudicio, legenti adeò evadunt manifestæ; ut rursum miraturi sint fortè nonnulli, me tam operosè ac solicitè, nec sine seu meo scribentis, seu ipsorum legentium tædio, rebus adeò compertis demonstrandis insistere. Sed veluti suprà Insinuabamus; nihil clarum est voluntariè cæcutientibus; & potiùs paratis, universam divinæ Scripturæ structuram & harmoniam confundere, quàm ab adamata semel novitate, & præsumptâ opinione discedere.

Siquidem, velut indicavimus, etiam istud adeò apertè verbo Dei repugnans pronuntiatum, originem suam debet illi basi fundamentóque Religionis reformatæ, de justitia solius fidei: quæ nimirum fides, ex ipsa Lutheri definitione, sermone in Dominicam 2. Quadragesimæ; *est certa altissiméque animo insidens divinæ bonitatis & gratiæ (adeóque & futuræ salutis, vitæque æternæ consequendæ) fiducia.* Cum qua videlicet certissimâ persuasione, consequenter loquendo, stare non potest ullus timor divini judicij; immò (si ipsi Luthero credimus) neque opinio, quod à Christo judicandi sint. Quod tamen rursum manifestè pugnat cùm verbis Apostoli 2. Cor. 5. suprà relatis; & ad Romanos 14. *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Et mox: *Itaque unusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo.*

CAPUT



CAPVT XXXI.

Appendix & conclusio antè dictorum.

TAmetsi ex hactenus dictis, quantum ego arbitror, satis efficaciter ostensum habeatur, quantopere repugnet Evangelio Christi,& quanta animarum pernicie inducta sit in orbem terrarum reformata illa solius fidei iustitia; eóque jam visus sim finem imposuisse ei disceptationi: quia tamen modò in quosdam autores incidi, qui,quamvis aliâ occasione quosdam nobis suggerant Lutheri locos; ex quibus evidenter appareat: Novatorem illum ex vesano illo bonorum operum odio, eò devenisse impietatis, ut non nostris tantum detrahat meritum apud Deũ, sed ipsa etiam Salvatoris opera ita deprimat, ut ea dicat, nihil aut parum ad salutem nobis profuisse, ex quo inter alia, consequens sit, illum reipsa non fuisse Redemptorem mundi, atque inde rursum omnem perverti novi testamenti æconomiam:idcircò necesse est,istam supradictis velut appendicem superaddere; ac primùm ipsos Lutheri locos ob lectoris oculos proponere,tùm quanta ex illis in fidei negotio absurda sequantur,aperire.

Prior locus in hunc modum refertur, ex Tomo 3. Germanico, in Admonitione ad Argentinenses: *Non esse hominibus opera Christi inculcanda,& cuiusmodi exemplum nobis Christus præbuerit.*

buerit. Christi enim opera esse minimam & vilissimam portiũculam in Christo,eaque in re Christum cæteris sanctis parem esse.

Posterior adfertur, ex Præfatione in novum Testamentum Latinum, ubi sic loquitur: *Si alterutro carendum esset,vel operibus,vel verbis Christi:modis omnibus mallem ignorare Christi facta, quàm eius verbis & concionibus privari. Non enim multùm Christi opera mihi prosunt, sed verba eius dant vitam.* Hæc ille.

Sed hìc fidem tuam obtestor, quisquis hæc legis, si modò quacunque saltem ratione Christianus es;quanta in pauculis,istius ter Sancti(ut eum appellant cultores sui) aut, (ut ipse sese) à Deo submissi novi Evangelistæ, verbis, & quàm manifesta atque comperta sunt crimina.

Nam istud in-primis quale est; quòd cùm tota ferè novi testamenti pagina, nobis inculcet opera Christi,& quæ ille nobiscum conversans aut egit,aut passus est,imitationi nostræ proponat: quam in rem expressissimè faciunt, illa S. Petri prioris epistolæ cap. 2. *Christus passus est pro nobis,vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius*, & illud à Paulo non uno loco inculcatum:*Imitatores mei estote sicut & ego Christi*: quod est dicere: Imitamini me,quia me imitãdo,Christum quẽ imitor, & ipsi imitabimini. Et illud 1. Ioannis 2. *Qui dicit se in ipso manere,debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Tandemque cùm ipse Salvator nobis via factus, veritas,& vita, toties inculcatis istis, aut affinibus vocibus: *Qui vult venire post me,tollat cru-*

cem

cem suam (ex mei scilicet imitatione) *& sequatur me*: iis videlicet insistendo vestigiis quæ ipse impressi, & ipso sanguine meo signavi. *Quid enim est eum sequi*, inquit Augustinus, *nisi imitari*? Et ne fortè expressum exempli nomen de ipso Salvatore desideres: idem ipse Ioannis 13: post opud illud profundissimæ demissionis, quo discipulorum pedes abluit Dominus & Magister; disertè subjecerit: *exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

De Sanct. virg. c. 27.

His interim omnibus non obstantibus, ausit iste Novator præfractè negare, inculcanda esse hominibus opera Christi, aut quibus exemplis in suâ nobiscum conversatione præluxerit.

At enim ad ista minùs attendit novi Evangelij conditor; audax præ animi obstinatione vel sexcentos Scripturæ locos sibi adversantes contemnere, aut, si necesse sit, eos omnes in sensu ironico, aut prorsus contrario accipere, & ita ubique Evangelium Christi, ut suum substituat, subruere.

Sed facilè in his advertet Lector ingenuus, vel hoc loco fallere nos Scripturam divinam quod dictu nefas est Christiano: vel, quod consequens est, ipsum Lutherum falsum Prophetam, & merum impostorem esse.

Iam verò quid dices, si alterum illud propositæ doctrinæ caput attenderis: quo sancta opera humanæ in Christo naturæ, quæ (qualiacunque sint secundùm se spectata) tamen ex infinitâ personæ Verbi sanctitate summam dignitatem atqee pretium accipiunt, idcirco appella-

ta à SS. Patribus *Theandrita*: rem in ipſo Chriſto viliſſimam eſſe pronuntiat. Atque ex ea parte, hominem illam teſte Scriptura, non tantùm Sanctum, ſed & *Sanctum Sanctorum, innocentem, impollutum*, & excelſiorem cœlis factum, quippe hominum Angelorúmque caput; eundémque *plenum gratiæ & veritatis*, de cujus *plenitudine nos omnes accepimus*; denique de quo etiam ſcriptum eſt: quod eum unxerit Deus oleo exultationis *præ participibus ſuis*: hunc, inquam, Lutherus adeò redigat in ordinem, ut eum cæteris Sanctis parem faciat. Et quid dico Sanctis? Immò cuivis etiam de grege ſuo nebuloni aut meretrici: quos quidem ſi fidem habeant, & ipſos cæteris Sanctis æquales facit; ita de ſe ſuisque proloquens, Tomo 2. Latino, enarratione in primæ Petri caput primum; *pares ſumus in honore & dignitate D. Petro, Paulo, & S. Deiparæ Virgini. Habemus enim eundem Theſaurum à Deo, bonaque omnia tam largiter, quam ipſi.* Sic ille. Quod quis dubitabit? cæteris accéſendum blaſphemiis, quas ille evomuit ore maledico, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum eius.

In quo curſim attende ſtultæ hæreſis infelicem aſtutiam. Siquidem Reformati iſti, ut vitæ molli delitiiſque licentioſè indulgeant (neque enim ad ſe pertinere autumant, quæcunque à Chriſto, de arctâ viâ, ferendâ cruce, abnegatione ſui &c. inculcantur in Evangelio) dicunt aſperitates ejuſmodi incaſſum à nobis, & cum Chriſti iniuria ſuſcipi: quaſi ille ſuâ paſſione ac morte non abundè pro nobis ſatisfecerit: eumque

Danæus in Resp. ad Bellarm. &c.

que in finem, operum ac passionem Christi, pro nobis susceptarum, valorem ac pretium exaggerantis, ac proinde Sanctos Antonium, Hilarionem ac similes, *bis stultos* appellantes, quòd absque ullâ necessitate, aut fructu, semetipsos tam aspere tractarint, ac quodammodo sui ipsorum carnifices extiterint.

At cùm è diverso, ad Christi operum passionumque imitationem provocantur; negant, uti vidimus, eam imitationem adeò esse inculcandam; eo quòd ea quæ Christus in carne gessit, aut passus est pro nobis, minima sit & vilissima particula in Christo, eaque in parte, nihil supra cæteros Sanctos; ipse Christus præstiterit. Ita illi, utrimq; fallaces, & instabiles, & semper in gyro & circuitu ambulantes.

Postremum caput, quod in ea doctrina notabamus, istud est; quod, juxta Lutherum sustineri nequeat, Christum reipsa generis humani Redemptorem fuisse. Siquidem cùm scriptura sacra locis innumeris, Redemptionis mundi effectum, non prædicationi sive doctrinæ Christi, sed illius morti ac passioni, seu nominatim ipsius sanguini pro nobis effuso, constanter attribuat; si ipsa Christi obedientia, quâ sese ad mortem, mortem autem crucis, pro salute nostrâ Deo Patri obtulit, humano generi, ex Lutheri verbo, parum profuit, sed verba ejus sint quæ dant vitam; jam non venerit Christus, ut tanquam Redemptor mundum salvaret, sed tantùm, ut veluti Doctor viam virtutis monstraret; quæ fuit hæresis Petri Abailardi, apud S. Bernardum, epistolâ 190. frustraque toties inculcat scriptura, Chri-

stum

ſtum redemiſſe nos in ſanguine ſuo. Et quod expreſſius eam in rem Matth.20.v.28. dicitur, veniſſe filium hominis dare animam ſuam (id eſt vitam & ſanguinem ſuum) redemptionem pro multis. Coloſſ.1. v. 14. Epheſ.1. v.7. 1. Petri 1 &c.

Neque quicquam obſtat, ſi fortè dicas cum Calvino: redemptionem mundi aſſignari Chriſti operibus, non quòd id præmium condignè mererentur; ſed tantùm quòd per illa offerretur condignum redemptionis pretium, putà vita & ſanguis vnigeniti.

Quoniam ſive hoc, ſive illo modo rem explices; perinde convincitur, quod Lutherus dixit: Chriſti opera non multum profuiſſe mundo: niſi fortè, patet, quod mundi redemptio nullius, aut levis momenti res extiterit.

Præterquam quòd & ipſe Calvinus, alibi denique modum loquendi Catholicum admiſerit; epiſtolâ ſcilicet 317. dicens: *Ex pluribus ſcripturis colligi, quod verè Chriſtus ſuâ obedientiâ, nobis gratiam apud Patrem acquiſierit, ac promeritus ſit.*

Ad extremum, ut vel cæco pateat, in quod impietatis barathrum ſenſim ſine ſenſu provolvat Novatores noſtros, bella illa, & ab ipſis temerè & inconſultè adamata, ſolius fidei iuſtitia, vel in ipſo Luthero, lector benigne, recognoſce. Nam cùm conſequenter ad eum errorem, ipſis etiam Chriſti operibus omne meritum, pretium, dignitatemve detractam vellet, nec tamen auderet manifeſtè illum, Redemptorem mundi, quod tota ſcriptura confitetur, abnegare; ut hoc ſaltem modo imperitis fucum faceret, commen-

tus

tus est illum, non passione, aut morte naturæ humanæ, sed ipsius divinitatis suæ, mundum redemisse. Ita enim illum, si meministi, suprà loquentem audivimus in confessione majore, de cænâ Domini: *Non credo, quod sola humana natura pro me passa sit: Christus ille vilis, & magni pretij salvator est; immò ipse quoque salvatore opus habet* &c.

Quibus verbis serpens ille, velut linguâ bifidâ, & Christum secundum humanitatem cæteris exæquat hominibus, qui & naturâ filij iræ, & arbitrio suo multis sceleribus vivunt obnoxij; & passioni ac morti subiicit, nescio à quo deinde resuscitandam, cùm destructa seipsam resuscitare non possit, incommutabilem eius divinitatem. Quæ quidem impietas, si non Atheismi surculus, at stygiæ tamen fornacis est non obscura strictura.

Qua etiam in re, non insanam tantùm ejus impietatem, at insuper improvidæ mentis temeritatem aspicias; ut qui nó intelligat, quod, cùm universa scriptura Christi sanguini pro nobis effuso redemptionem mundi attribuat, consequenter ei commento suo; compellendus sit divinitati, venas assignare, & sanguinem, cujus effusione, mũdi redemptionem; operata sit: quod nèscio an hominum cuiquàm, quantumvis stulto & impio, venire possit in mentem: Demum eâdẽ occasione omittere non possũ, quin ipsos Lutheri discipulos, pro eo quo feror in eorum salutem studio, cordatè commoneam; ut tantisper ad hæc, sed seriò, reflectant animum; quàm falsò ipsorum Propheta, sese apud illos, pro puri Christi Evangelij

gelij aut verbi Dei, eximio ſectatore, jactet atque venditet: quando in exemplo, in quo verſamur, impiam illam de divinitatis paſſione ſententiam, pro animi ſui libidine, ipſis obtrudat; cujus ne veſtigium aut umbra extet in verbo Dei; & è contra, articulum de humani generis, per ea quæ Chriſtus in carne ſua geſſit ac pertulit, partâ ſalute, quem (ut ita loquar) mille locis Scriptura adſtruit, ſtultè atque præfractè neget. Et hæc quidem digna eſſent, etiam pluribus exaggerari.

Sufficiat addere: id jam olim, ut hæreſis proprium notatum Tertulliano adverſus Gnoſticos ita ſcribenti: *Sed hoc eſt perverſitas fidei, probata non credere, non probata, præſumere.* Scorp. c 4.

Verùm ut denique iſti argumento colophonem imponam: Ex hactenus dictis, niſi me meus fallit animus, clariſſimè apparet Lectori ingenuo, & niſi quis malignè ab ipſa luce avertat oculos: Baſim illam Religionis novitiæ, & (ut ipſi agnoſcunt) tanquam animam quinti Evangelij, nullo modo poſſe cum ipſa Evangelij Chriſti veritate ac ſinceritate conſiſtere: ſed vel illâ ſtante, ipſum Chriſti Evangelium ab imo ſubruendum, & conculcandum eſſe, (quod ne ipſi quidem, qui reipſa illud ſubvertunt, ſi Chriſtiani ſint, apertâ voce admiſerint) vel certè, quod nos contendimus, illam ipſam baſim, & quidquid ei inædificatum eſt, prorſus evertendum ac diſſipandum eſſe.

Cæterùm, quò magis cõſidero, infelix illud de ſolius fidei iuſtificatione commentum, quod & ipſe Calvinus libro 3. Inſtit. c. 11. §. 1. *præcipuum Religionis*

Religionis Christianæ sustinendæ (Reformatæ videlicet) *Cardinem* appellat, adeò perversum & omni ex parte Evangelicæ legi ac disciplinæ repugnans apparet; ut ne ab ipsis quidem inferorum portis, validius quidquam ad Ecclesiam Christi, si quà fieri posset, labefactandam adinveniri posse existimem: dignum proinde dogma, quod & Mago Simoni primævam suam originem debeat, inquantum & ille (ut autor est Sanctus Iræneus) negabat hominem secundum opera justa salvari, & post tot sæcula, quibus in Ecclesia Dei inauditum fuerat, à Martino Luthero, si non mago, at certè à dæmonum familiaritate infami, velut ab inferis suscitatum, in orbe redivivum apparuerit.

Neque adeò mirer, inveniri inter Christianos, qui sive novandi, & exinde gloriæ captandæ, libidine, sive studio homines ad sectam suam pelliciendi, posthabitâ doctrinæ Evangelicæ sinceritate, talia comminiscantur aut venditent: sed quod etiam viri alioqui prudentes, nullo compendij utilitatisve respectu tam impios suorum Apostolorum (ut appellant) conatus, intelligentes, etiamnum illis pertinaciter adhærescant, & nescio quomodo, etiam videntes volentésque seipsos fallant; id verò præsertim, & queror, & miseror, & doleo.

Cæterùm ut vel hinc perspicuè denique cognoscant Lutheri discipuli, quàm hac ipsâ in parte, improvido, futili, & (qui hæresis est genius) instabili Doctori, credant animas suas; ad extremum placet, illis ob oculos ponere: quod

quid ipse Lutherus, post tot occasione istius dogmatis, excitatas in orbe tragœdias; post invidiosam insolentemque eius tanquam sui inventi iactantiam; post, eâ gratiâ, quantum in ipso fuit, ab imo convulsum Evangelium Christi: quid, inquam de hac re ipse perscribat, Tomo 4. Vvittemb. commentario in caput 15. Ioan. quémadmodum refert autor Britannomachiæ lib. 1. cap. 12. *Vbi sola fides docetur* (inquit) *fiunt falsi Christiani, qui de fide quidem gloriantur & baptizati sunt, inque Christianorum numero censẽtur; nullum tamen succum habent, neque fructum edunt*. Sic ille.

Quod, quid aliud est, si attenderis; nisi basim illam Religionis reformatæ funditus destruere, convellere cardines, & animam ipsam novi Evangelij elidere?

I nunc, quisquis es, & fide sis illi magno ac fideli quinti Evangelij oraculo; & cœcus cœcum, in foveam erroris, & perditionis barathrum, cum illo præcipitandus, ducem sequere.



CAPUT XXXII.

Quibus aliis modis Reformati nostri, novi testamenti autoritatem concutiant atque convellant.

TAndem ut nonnulla quæ adhuc ad novũ testamentum attinent, specialiùs exequar: observo in-primis ipsum Lutherum, in Prologo novi testamenti seriò admonuisse lectores suos;



ut hanc falſam aboleant opinionem; quòd ſcilicet quatuor ſint Evangelia; *Siquidem*, ut ait, *Evangelium Ioannis, eſt unicum, pulchrum, verum, ac principale Evangelium; aliiſque tribus longè ac longè præferendum & anteponendum; adeò ut Pauli & Petri epiſtolæ, longè præcedant tria illa Evangelia, Matthæi, Marci, & Lucæ.*

Quibus ille quidem, puri Evangelij magnus jactator; quid aliud, quæſo, agere videtur; niſi, ut tria illa Evangelia ſic deprimendo, præ altero, eorum autoritatem ſuſpectam & dubiam; efficiat; immò ſi attendimus, eadem reipſa non eſſe vera Evangelia ſignificet. Quippe cùm Ioannis Evangelium ſic anteferat, ut illud dicat, *unicum, pulchrum ac verum eſſe Evangelium*, conſequens ſanè eſt, ut tria reliqua, vera *Evangelia* non ſint. Immo, ſi teneat alibi dictorum conſequentiam, conficitur ex eius mente, doctrinam cuius ipſe autor eſt, dictis Evangeliis potiorem ac certiorem eſſe.

Lib. contra Regem Angliæ &c.

Etenim cùm ſæpe pronuntiet, non duntaxat certum ſe eſſe, quòd dogmata ſua de cælo habeat; ſed etiam alicubi dicat expreſſiſſimè: *certò novi, doctrinam meam non eſſe aliud quàm ſacroſanctum verumque Evangelium*, auſus etiam, arroganti vanitate, quò dictis ſuis autoritatem aſſereret, ſeſe hiſce titulis inſcribere: *Aſſero ego, Doctor Martinus Luther, Domini noſtri Ieſu Chriſti indignus Evangeliſta*; quis non videat, eum doctrinam ſuam potiori loco, quàm Matthæi, Marci aut Lucæ, revera habere; quando ſibi certum eſſe teſtatur, doctrinam ſuam eſſe verũ Dei Evangelium,

gelium, quod ſatis apertè de doctrina dictorum ſanctorum videtur negare, aut in dubium ſaltem revocare. Ex quo ibidem factum, ut teſte Lavathero, Calviniſta apud Berleium Tr.2.c.2.ſect.10. §.2. quidam Lutherani, iique non infimæ notæ, non veriti ſint pronuntiare : ſe malle doctrinam Pauli in dubium revocare, quàm doctrinam Lutheri, ſeu Confeſſionem Auguſtanam.

Quemadmodum etiam apud eundem Calviniſta quidam, pari inſaniâ dixiſſe fertur: ſi Paulus eadē hora Genevæ prædicaret, quà Calvinus ; relicto Paulo, ſeſe Calvinum auſcultaturum eſſe.

Ita videlicet ſectariorum mentes ſive faſcinante, ſive obturbante & circumagente ſpiritu erroris ac vertiginis, ut cùm ex una parte, in rebus fidei controverſis, ad Eccleſiæ Catholicæ ſenſum definitionemve recurrere, atque in ea acquieſcere non ſuſtineant ; quòd indignum putent, verbi Dei veritatem, oportere (quod aiunt) humano ſenſu & interpretatione fulciri : ex altera tamen, unius hominis, ut de Donato aiebat Auguſtinus, nudiuſtertius, noti, (puta Lutheri, ſive Calvini,) qui ſeſe, nullis idoneis miſſionis ſuæ ſignis prolatis, Chriſti Apoſtolum aut Evangeliſtam jactitet, autoritate ſic irretiri ductarique ſe patiantur ; ut eius doctrinam, tametſi toti antiquitati repugnantem, inconſtantem, fallacem, ſibique ipſi contrariam, quin ex multis etiam capitibus adverſus Deum ipſum blaſphemam, attamen pro divina habeant, eamque ipſi indubitato Dei verbo, aut exæquent, aut etiam anteferant.

At enim in eo quod ad ſacros Evangeliſtas attinet, eodem quo Lutherum ſpiritu ſeductum obſerves Guillielmum Clebitium, ex Lutherano (ut aiunt) Calviniſtam: quippe eorum teſtimonia inter ſe componens, immò opponens, perinde de iis philoſophatur; ac ſi in eis nulla ineſſet humanâ major autoritas. Perpendantur hæc eius verba ex libro quem ſcripſit, de *Victoriâ* veritatis, & *ruina Papatus Saxonici. Matthæo & Marco, duobus teſtibus, plus fidei adhiberi debet, quàm uni Lucæ* (ea videlicet, quæ Chriſti Paſſionem ac Sacramenti inſtitutionem ſpectant, referenti) *qui ſynaxi* (inquit) *non interfuit, quemadmodum Matthæus.*

Inſcitè prorſus, atque abſurdè. Tanquam videlicet in re præſenti; attendendæ eſſent humanorum iudiciorum formulæ; in quibus, ſi teſtes contrarij ſibi ſint, cæteris paribus, plus fidei defertur pluribus quàm uni; & uni oculato, plus quàm auritis decem. Cùm è contrà ubi de verbo Dei agitur, non hominum, per quos loquitur Deus, privata conditio, ſed ſolius Dei, per eos loquentis, eoſque dirigentis, autoritas ſpectanda ſit. Quæ cùm per ſe ſumma ſit, atque ſuprema, & uſquequaque infallibilis; falsò ſupponitur, eos per quos loquitur, teſtari contraria: neque poteſt uni præ altero minùs fidei deberi, niſi eo ipſo deſinat illius ſermo eſſe verbum Dei: cuius ubicunque par eſſe debet, ideſt abſolutè infallibilis, autoritas.

Quæ quidem rem ipſam vel mediocriter attendenti adeò clara ſunt; ut mirum ſit eos, qui ſe orbis Doctores, Eccleſiæque Reformatores, eoque

eóque cæteris oculatiores, haberi velint, in re tanti momenti tam turpiter allucinari.

Iam autem quid esse dicemus; quod ipse Lutherus, non tantùm decalogum Mosis (qui tamen à Christo Domino in nova lege renovatus & confirmatus est) velut omnium hæresum fontem, explodendum censuerit; sed insuper divinam illam precandi formam, à Christo discipulis suis, & per illos nobis, in Evangelio traditam, eam inquam, ipse velut execrabilem habuerit in hæc verba in 5. caput Matth. scribens: *Nemo, Pater noster, rectè precari potest, quin simul diras & execrationes admisceat. Nam Pater noster sine execrationibus non rectè oratur.* *Tom. 4. German. Vuitemb.* Quæ cùm adeo insanè scriberet, profectò oportuit illi, aut cerebellum nimio vino æstuasse; aut mentem ab ipso Satanâ (à quo se regi alibi scripsit) occupatam fuisse.

Addere liceat; alio in loco, ausum esse, bellum illum Evangelistam, seu veriùs inverecundum scurram, *In cap. 4. Genes.* ipsius Dominicæ orationis, quasi ab ipso Christo minùs perfectè, seu expresè conceptæ, petitionem, uti loquimur, quartam in hunc modum, supplere dicam, an contaminare? *Domine Deus da uxorem, & panem quotidianum.* Perinde atque si (ut iocabundus ait, istud referens, Gretserus noster) edixisset Christus: *Quærite primùm uxorem, & cætera adjicientur vobis.* *Summulâ casuum &c. de matrim. sacram.*

Cæterum ut per occasionem hoc adjiciam: orandi formulam sectæ suæ propriam præscribere volens Doctor Martinus: en quo mentis fastu, quâ verborum in ipsum Deum contumelia

Tom. 2. German. Vuit. in orat. contra Turcas.

id aggreditur. *Oraturus*, inquit, *memento ut audacter & fronte perfrictâ, sive adstes, sive genuflectas; hocque modo Deum appelles. Domine rogo, utque annuas volo: ut Ita &, Amen, esse debeat, & oporteat. Sic, inquam, & non aliter: alioqui neque oro, neque oratum volo.* Cui nimirum suæ ut ipse appellat, audaciæ, ut ego, impiæ adversus Deum impudentiæ, visus est alibi, tametsi verbis haud minùs audacibus, hoc tanquam umbraculum velle prætendere: *Quid*, inquiens, *orando frustra obtunditis aures Dei? Neque enim aliter Deus cum hominibus agit, quàm verbo promissionis.* Tanquam si aliis (etiam Dominicâ) orationibus posthabitis, illam unicè probaret precandi formam, quam, ex simili spiritu, familiarem habuisse ferunt mox memorandum Guillielmum Hacketum, insanum Novatorem: *Domine tu potentiam habes; ego habeo fidem. Ergo fiet.*

In Assert. art. 36.

Atque interim iste, quem ante dicebamus, non hoc tantùm nomine, sed aliis infrà tangendis blasphemus in Deum, iste legis Dei, verborumque Christi contemptor; est ille nimirum (ut ejus sectariis loqui placitum) ter Sanctus Martinus Lutherus, quo nemo maior ab Apostolis surrexit, immò proximo post Christum & Paulum loco collocandus.

Verumtamen omnem hoc in genere sive insanam impietatem, sive impiam insaniam superat, illa prædicti Guillielmi Hacketi ad Deũ sub mortem precatio. Quippe qui, cùm sese non Puritanorum tantùm (quod vulgo appellabatur) sed universæ terræ Regem appellaret, sensimque inductus

inductus à suis, etiam se Christo parem haberi vellet, eaque gratiâ, hoc modo compellaret Deum: *Pater, scio, te, non minùs teipso, me diligere &c.* Tandem veluti perduellis, ad supplicium ei crimini constitutum damnatus, extremis sub patibulo verbis (quæ ex Actis publicis refert Fitzsimon Britannomachiæ l. 2. c. 6.) Deum non tam orasse, quàm sacrilegâ comminatione in hunc modum aggressus, proditur.

Deus cœli, potentissime Iehouah, ac & eo, Domine Dominorum, Rex Regum, æterne Deus. Tu me nosti, verum ipsum Iehouah, quem misisti. Miraculum aliquod ostende his infidelibus, & libera me ab his inimicis meis. Sin minùs, cœlum succendam, & te è throno detractum, manibus meis lacerabo. Sic ille. Et cum hac præclara prece, statim suspensus est, & in membra discerptus.

Quas equidem voces insani potiùs capitis quàm impiæ mentis esse dixeris. Sed eas tamen visum est hoc loco ita referre: ut ex hoc exemplo, aliisque quæ proferri possunt, perspiciat lector ingenuus: ad quam denique, quamque enormem, seu impietatem, seu insaniam, sensim deducat sectatores suos, cœca, & profana, neglecto scilicet Ecclesiæ Catholicæ sensu, quidlibet credendi quod suus cuique suggerit spiritus, haud pridem in orbem Christianum inducta libertas. Quam spiritus sui suggestionem, miseri & cæci pro interiori Spiritus Sancti persuasione habent: quando eum, non Dei, sed Diabolicum esse spiritum; prout de Calvi-

niſtarum ſpiritu teſtatur Lutherus, & de Lutheranorum Calvinus, vel ex ipſis conſtat effectibus.

Addo, quod his ſcriptis, de Thomâ Muntzero, è Lutherano Anabaptiſtarum duce, traditum invenio à Florimundo lib. 2. cap. 1. num. 4. Eúm videlicet haud abſimili impudentia, ita, cum ſuis, Deum precari ſolitum: *Pater, infunde animo meo, propenſum deſiderium iuſtitiæ tuæ. Quod niſi feceris: te, tuoſque Apoſtolos ad unum omnes abnegabo.* Sic ille inſanus.

Cæterum, ut de Calvino, eiuſve ſcholâ, iſtud huc pertinens extremo loco adjiciam: quàm ad horum quoque palatum parum faciat, nobis commendata ab ipſo Chriſto orandi forma; ex his oſtendi poteſt, quæ loco citato obſervat autor Britannomachiæ; ubi & Calvinum teſtatur, in quatuor poſteriores Orationis Dominicæ petitiones (ut ipſe ait) datâ operâ declamare; & ipſam Dominicam orationem, Puritanis (id eſt, rigidis in Angliâ Calvini diſcipulis) exoſam eſſe.

Ex quo profectò jam minùs videatur incredibile; quod de Georgio Buccanano, his ipſis verbis tradit libellus, inſcriptus *Elixir Calviniſticum*, & Andreæ Scioppio attributus: in mortis (inquit) limine rogatus à Miniſtris, orationem Dominicam diceret; primam Propertij elegiam, cycnæa voce exorſus eſt: *Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis, Contactum nullis ante cupidinibus.* Negavitque

aliam

aliam orationem Dominicam, sibi ante hos sexaginta annos extitisse.

Quod, quæso, quid esset: nisi cùm Atheus ante vixeris, etiam Atheum occumbere? sed nempe vel inde confirmare licebit, quod suprà dictum à Calvinismo ad Atheismum, facilem ac pronam viam esse.



CAPVT XXXIII.

Calvinum, impiâ temeritate, Evangelicorum Christi sermonum, censorem & correctorem agere.

Verum inter ea, quibus Calvinistas, indignè tractare scripturas divinas (contrà quàm ipsi insulsè & falsè venditent) partim vidimus, partim visuri sumus; nihil est fortassis, quod iustiùs ac vehementiùs adversus hanc sectam commovere possit, piam in Christum, ejusque verborum seriò reverentem animam; quàm si ipsum Calvinum audierit, non quomodocunque ipsum Evangelij textum adulterare & corrumpere, sed in suis etiam in Evangelia commentariis, passim ipsarum Christi, Incarnatæ, inquam, Dei sapientiæ, vocum, sententiarumque censorem, momum, & castigatorem agere, & si quid in illis minùs probarit, de eo, non aut dubitanter & velut discendi gratiâ, sed definitè,

nitè & pro quadam quasi libertate Evangelica pronuntiare.

Attendat, quæso, sedulus Lector, quos eam in rem, & causâ exempli, ex Calvini scriptis locos colligit Feuardentius dialogo quarto, errore Calvini 99. itemque 100. & sequentibus.

Et priore quidem errore, ostendit eum passim, idque exemplo pessimo, Evangelicas Salvatoris locutiones impropriètatis arguere, ut cùm ad illa Matth. 12. *Aut facite arborem bonam* &c. *Impropria*, inquit, *est locutio.* & cap. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ* &c. *Impropria est loquendi forma.* & cap. 20. *Quicunque voluerit inter vos maior fieri* &c. *Impropriè loquitur.* Et Ioannis 3. cap. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem. Hoc videtur impropriè & absurdè* (seu, *sine ratione*) dici. Et cap. 17. *Pater quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum* &c. *Est, quoad Grammaticam attinet, impropria locutio.*

Sed fœdiora, sunt, quæ subjiciuntur, errore 100. &c.

Etenim in primis in caput primum Ioannis v. 48. *Illa*, inquit Calvinus, *Christi responsio ad Nathanaëlem, videtur parum apposita.* Similiter & Ioannis 3. de illis Christi ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit: è longè petitus*, inquit, *& propè intempestivus videtur hic sermo.*

At in Lucæ cap. 16. & 22. *Dura & longè petita videtur similitudo.* Item: *similitudo cribrandi non omni ex parte quadrat.*

Iam in Matthæi cap. 7. ad illa verba: *Omnia ergo*

ergo quæcunque vultis&c. *supervacua*, infit, *est illatio, quemadmodum sæpè in concisis sententiis particula ista abundant.*

Denique, quos extremos locos, velut magis impiè insolentes notari velim: In eiusdem Matthæi cap. 9. *Vt autem sciatis, quia filius hominis* &c. *videtur*, inquit, (Christus scilicet) *parum solidè ratiocinari.* Et in capite 12. *obiectam sibi calumniam primùm refutat proverbiali sententiâ: videtur tamen parum solida esse refutatio.*

Tandemque in eiusdem 22. capite, illam Salvatoris divisionem, *in ea quæ Cæsari, & quæ Deo reddenda* sint, velut ineptam & inconvenientem redarguit, dicens: *videtur quidem non quadrare partitio; quia propriè loquendo, dum officio defungimur erga homines, obsequium hoc Deo impendimus.* Hæc omnia Calvinus.

Et credemus illum agitari divino spiritu, qui diabolicâ præsumptione, supra Christum ipsum se efferens; eius se censorem castigatoremque constituit, quem Pater æternus nobis ut supremum orbis Doctorem atque Magistrum proposuit? Eâ ipsâ impiâ audaciâ divinæ eius sapientiæ plurimum detrahens, & Evangelij ab eo conditi, cuius se Calvinus perstudiosum cultorem venditat, prorsus elevans ac pessundans autoritatem.

Clausulæ loco istud attexo: Bezam videlicet Magistri sui simiolum, verbis Gabrielis Archangeli Luc. 1. v. 37. immò Dei, cuius is nomine atque mandato loquebatur, præsumptione simili, ausum hanc suam censuram adscribere:

Non

Non est impossibile apud Deum omne verbum. Isti non credendum, nec universaliter recipiendum sed constanter propugnare. Ita ille in Catechismo brevi Genevensi articulo 1. apud Fitzsimon Britannomachiæ lib.2.c.2.

Vt proinde ex his ad extremum confici valeat: si quod oraculum unquam effudit primarius ipsorum Propheta Lutherus; illud sanè deprehendi verissimum; quod apud eundem autorem libro citato cap.6. pronuntiasse fertur, in colloquiis Islebiensibus de verbo Dei, fol. 22. *Reformatos scilicet scripturas contemnere, in ordinem cogere, adulterare, irridere, exagitare* Sic ille.



CAPVT XXXIV.

Confessionem fidei reformatæ Gallicanam, ne ab ipsis quidem Calvinistis pro verâ & indubitatâ fidei regulâ habendam esse.

PAradoxum istud apparebit, quantum existimo, plerisque Ecclesiæ Reformatæ sectariis. Quippe cùm ex ipsa vi vocis, sensuque communi, fidei Confessio aliud non sit, nisi formula quædam, complectens articulos, qui certâ fide credendi sint, ab omnibus certam Religionem profitentibus. Et communis sit vulgo persuasio, siquis aliquod eorum capitum, quæ eâ formulâ contineantur, aut negaverit, aut in dubium pertinaciter revocaverit, confestim

festim ex Ecclesia, & à reliquo fidelium cœtu, velut hæreticum præcidendum ac separandum.

Igitur ut ista assertio, quam manifestum est magni esse momenti ad fidei Calvinianæ vanitem demonstrandam, ipsamque adeò Religionem Reformatam ab imo quasi concutiendam; clariùs efficaciúsque stabiliatur, primo loco istas attendi velim Calvini voces, libro 4. Instit. c.9. §.8. *Quoties Concilij alicuius decretum profertur, expendi primùm diligenter velim, quo tempore habitum, quâ de causâ habitum, & quo consilio, quales homines interfuerint: deinde illud ipsum de quo agitur, ad scripturæ amussim examinari, idque in eum modum, ut Concilij definitio pondus suum habeat, sitque instar præiudicij*(seu velut habere Gallicam editionem testatur Gaulterius, *admonitionis*) *neque tamen examen, quod dixi impediat.*

Et rursum, etiam expressiùs, ibidem §. 12. *Nulla*, inquit, *Consiliorum, Pastorum, Episcoporum nomina nos impediant, quo minus, & verborum & rerum documentis moniti, omnes omnium Spiritus ad divini verbi regulam exigamus, ut probemus, num ex Deo sint.* Ita Calvinus.

Quibus consentaneè (velut anteà retulimus) cap. præcedenti §. 10. irridet Romanenses (id est Romano-Catholicos) *quòd pro certo & confesso sumentes* (utique ex omnium sæculorum indubitato sensu vsuque) *Concilium generale legitimè congregatum, esse veram Ecclesiæ imaginem, simul absque dubio statuunt, regi immediatè à Spiritu Sancto eiusmodi Concilia, ideoque errare*

rare non posse. Tandemque rem omnem quasi concludens, ita ex sensu suo pronuntiat. *Hoc perpetuum esse nego, ut vera sit & certa scripturæ interpretatio, quæ Concilij suffragiis fuerit recepta.* Sic ibi.

Cap. 9. §. 9.

Atque huic Doctoris sui doctrinæ conformantes se eius discipuli, in Concilio nationali Dordracensi (de quo ex professo multa dicemus in sequentibus) expresse declararunt, eius Synodi decreta non ligare conscientias, sed privatim cuique iudicium relinqui; ut re ad verbi Dei normam & amussim expensâ, illa vel admittant vel rejiciant.

Hoc autem jacto fundamento; idem consequenter de Calvinianæ fidei confessione dicendum; vel hinc manifestè, quantum arbitror, convinci potest. Quod synodo conflatæ, ex Calvino v.g. & paucis per ea tempora, quos in Gallia habebat, suæ Ecclesiæ Ministris, per quos condita est fidei confessio pro Galliâ, aut cuivis alteri in Germaniâ, Angliâ, Scotiâ, confessionem propriam condenti; nusquam appareat, aut ostendi possit, à Christo promissa, in rebus fidei definiēdis, seu declarandis specialis & certa Spiritus Sācti, assistētia; quæ interim appromissa nō sit Generali, aut alicui œcumenicæ sive Catholicæ, sive (ut hoc demus) Calvinianæ Synodo; absque dubio magis expresse, quàm ulla Synodus particularis, Ecclesiam universalem repræsentant.

Ergo si (vel ipsis Calvinistis confitentibus) fas est unicuique fideli, etiam Synodi Generalis decreta, sive articulos ab eâ definitos ac traditos, ad verbi Dei examen revocare, & si illi

dictet

dictet ſpiritus privatus, hunc illumve articulum verbo Dei ſcripto minùs eſſe conſentaneum, ab eo ſaluâ fide, & tutâ conſcientiâ, diſcedere: multo id magis permiſſum erit, quoad articulos Confeſſionis ipſorum Reformatæ; quæ, etſi nomine aliud præferre videatur, in re non eſt aliud, quàm Synodi cuiuſdam particularis, aut neſcio cuius Conſiſtorij, definitio.

Alioqui ſanè, in contrario Philoſophandi modo, magna ſtatim, & oppidò enormis apparet inconſequentia, ſi ritè inter ſe comparentur extrema, & in hoc, aliove non abſimili paradigmate, res tota oculis quodammodo ſubjiciatur.

Exorta olim eſt in Oriente, exempli gratiâ, &, magno tumultu, nec minore ſcandalo, inter Arianos Catholicoſque agitata, de Filij Dei divinitate controverſia. Et componendæ, Niceæ in Bithynia, cum Apoſtolicæ ſedis legatis, legitimè convocati conveniunt universè trecenti decem & octo Epiſcopi, omnes virtute & doctrinâ, præſtantes, permulti etiam in causâ fidei tormentis affecti, & inde relictis cicatricibus illuſtres. Atque re à Patribus diu multúmque conſideratâ, perpenſis ſcripturis, examinatâ priſcæ Eccleſiæ traditione, magno conſenſu declaratur fides Catholica, & Arius cum ſuis anathemate percellitur.

Atqui eo tanto molimine, ſi Calvino credimus, nihil adhuc abſolutè actum eſt.

Quippe cùm ea univerſalis Concilij definitio, accedente qualibet Apoſtolicæ ſedis approbatione, tantùm vim habeat cuiuſdam quaſi præjudi

præjudicij, ita ut civilibet Christiano etiamnum liceat, decretum Concilij ad divini verbi regulam exigere; & si illud quidem, ex animi sui sententiâ, verbi Dei regulæ minùs congruens invenerit, pro irrito & nullo habere.

Parte altera, Genevæ Allebrogum, non de uno alterove fidei Christianæ articulo, sed de reformandâ antiquâ Ecclesiâ, novaque quasi de integro, permultis, iisque summis, in capitibus, instituendâ, condicitur conventus. Conveniuntque cum Magistro Calvino primores discipuli, per ea musteæ Ecclesiæ primitiva tempora, pauci & mali. Nam quales fuerint, quod ad mores attinet, primævæ illius Confessionis, seu consarcinatores dicas, seu comprobatores, ex authentico apparet ipsius Calvini testimonio; quod nos superiùs occasione aliâ produximus.

Neque verò doctrinæ censu, multò instructiores fuisse existimabimus; si istud recipimus, quod magnæ vir autoritatis, Petrus Cottonus, ut sibi fideli relatione, compertum tradit. Ministris Genevensibus, pilæ lusu & aliis ineptiis, temporis multum perdentibus, cùm à Francisco Balduino (Iurisconsulto insigni, & ipsi Calvino familiari tunc & intimo) pro amiciciâ admoneretur, cogendos potiùs, ut SS. Patrum lectioni, studioque vacarent, quò se idoneos ministerio suo redderent; frigidè ad id respondisse Calvinum: se pro illis laborare, & satis fore, si docerent, quæ illis scriptis traderet.

Tractatu de sacram. & sacrif. Missæ. discursu 6 c. 20.

Sed quales, quales hi fuerint, qui eum in finem convenère: conscribitur ab illis confirmaturve,

turve,

turve, fidei Reformatæ confessio, 40.capitibus constans. Adjecto postea in aliis Synodis, ridiculo: *Romanum*, inquam, *Pontificem esse realiter ac propriè illum,quem scriptura extremis temporibus venturum prædixit, Antichristum.*

Et huic,sic fabricatæ adornatæque Confessioni, si vos ô rigidi Calvinistæ audimus; perinde atque si de cœlo delapsa, aut ab ipso Christi ore profecta esset, fides rata fixa indubitata habenda erit: Ita ut nemini prorsus liceat contra illam hiscere; aut (quod vos interim adversus cuiuscumque Concilij, sive Catholicæ, sive etiam vestræ Reformatæ Ecclesiæ, decreta conceditis) illam ulteriùs ad verbi Dei amussim examinare?

Et ubi jam erit generale illud atque expressum Doctoris vestri, loco suprà citato pronuntiatum? *Nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina* (*quæ subinde*, inquit, *tàm falsò obtendi, quàm usurpari possunt*) *nos impediant, quò minùs, & verborum & à rerum documentis moniti, omnium spiritus* (attendite vocum exaggeratam amplitudinem) *ad divini verbi regulam exigamus, quò probemus nùm ex Deo sint.*

Quando & è diverso, ex ipsiusmet Calvini mente, verbis quæ ibidem subjicit, expresså, agnoscendum sit: *multo plus ponderis habere debere definitionem, in quam communiter Ecclesiarum Pastores, invocato Christi nomine, consenserint; quàm si quisque seorsum domi conceptam populo traderet, vel pauci homines privatim eam conficerent.*

R At

Ad quod ſanè non eſt, quod vel apparenter à Calviniſtis reſpondeatur.

Niſi fortè quis dicat: ſpeciale id eſſe in ipsâ Confeſſione fidei, quòd eius articuli omnes ac ſinguli, ex verbo Dei deſumpti ſint; ſitque velut extractum quoddam textûs ipſius divinæ ſcripturæ: quod non ita competit cujuſuis Concilij declarationi.

Siquidem hoc ipſum ſignificare, & exigere videtur, ipſa Confeſſionis Gallicanæ ratificatio: quæ ita habet: *Omnes Galliæ Eccleſiæ approbant & ratificant ſupra ſcriptam Confeſſionem, in omnibus ſuis capitibus, & articulis; ut qui integrè fundati ſint in puro & expreſſo verbo Dei.*

Contrà quippe apertè facit, quòd Confeſſionem ipſam legenti manifeſtum ſit (poteſtque id eſſe altera probatio ſeu confirmatio pronuntiati noſtri) pleroſque eius articulos, atque eos omnes qui Doctrinæ Catholicæ contrarij ſunt, in nullâ ſcripturâ expreſsè & integrè haberi.

In quo enim, quæſo, divinæ ſcripturæ libro in terminis ſuis, aut æquipollentibus, continentur iſti Confeſſionis Reformatæ articuli, quos hîc ſubjicio ex Fevardentij verſione? Puta, inprimis, quod dicitur articulo 24. *Solâ fide nos iuſtificari.* Item; quæ traduntur articulo 24. *Non eſſe licitum orare, niſi iuxta formam ab ipſo Deo præſcriptam*, Matth.6. *Quidquid homines imaginati ſunt, de interceſſione ſanctorum, qui exceſſere ex vivis, nihil eſſe niſi abuſum, & fallaciam Satanæ. Purgatorium, vota monaſtica, peregri*

peregrinationes ad loca sancta, Confessionem auricularem illusiones esse ex eadem Satanæ officinâ profectas. Articulo 26. *In cætibus Pontificiorum puram Dei veritatem exulare; Sacramenta esse corrupta; in iisdem, superstitionum & idololatriarum omne genus regnare.* Demum articulo 35. *Esse tantum duo Sacramenta toti Ecclesiæ communia.* Quarum, & aliarum consimilium assertionum terminos attendenti, clarum est, nec volam nec pedem in verbo Dei puro & expresso apparere.

Sanè cùm aliquando, à Catholico Principe Lutheranis Marchionis Durlacensis Theologis, propositi essent novem fidei Lutheranæ articuli; quorum quatuor priores erant isti: *Missa non est sacrificium propitiatorium. Matrimonium non est Sacramentum. Sunt tantùm duo Sacramenta. Non datur Purgatorium:* Vrgerenturque, ut, secundùm suam professionem, ostenderent; eos omnes, in terminis suis expresè contineri in verbo Dei; ad extremum fateri compulsi sunt eos expresè in scripturâ divinâ non inveniri.

Cumque deinde, per eam occasionem, iisdem propositis articulis, ad hoc ipsum urgerentur Calviniani Ministri Sedanenses, variè primùm tergiversati, ut qui rem arduam ab se flagitari sentirent; eò demum confugerunt, ut dicerent; *propositiones illas esse, negativas, negationes autem non posse aliter, quàm per affirmationes probari.*

Quo quidem infelici responso; partim scripturæ, styli parum peritos; partim ut de

Vviclefo Valdensis, sese rurales dialecticos, ostenderunt.

Quasi nempe scriptura, non passim abundet propositionibus negativis: quarum utique veritas, ex ipsarum formalibus terminis in scripturâ expressis, probari queat, non autem per ullam affirmationem.

Nam, exempli causâ, per quam affirmativam ex scriptura petitam, probabitur hæc negativa, Iosue 10. *Non fuit antea, nec postea, tam longa dies.* Aut illa Ioannis 4. c. *Et nunc quem habes, non est tuus vir.*

Deinde, ut demus adversariis, affirmativas propositiones, negativis illis oppositas: has videlicet: *Missa est sacrificium propitiatorium: Matrimoniũ est Sacramentum. Datur Purgatorium &c.* non satis expressè, aut sufficienter, ex scriptura, haberi, & (quod ipsi quidem putant consequens) easdẽ de fide non esse. Hoc inquam, dato; per quã dialecticam inferri potest, negativas illis oppositas, ut ipsi contendunt, ad fidem divinam pertinere? Cùm manifestum sit, ex hoc quòd scriptura propositionem aliquam non affirmet, consequẽs non esse eius contradictoriam ab eadem scripturâ, adstrui; quippe quæ de rebus innumerabilibus prorsus taceat, neque quicquam de illis; utramvis in partem definiat.

Attamen ne prorsus tacere viderentur Ministri Sedanenses; addiderunt denique, primam ex propositis assertionibus negativis, nimirum: *Missa non est Sacrificium propitiatorium*; contineri in illâ affirmativâ Heb. 10. v. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel,*

ſemel duas ſequentes, in verbis illis Deut.4.v.2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor* &c. Quartam autem: *non datur Purgatorium*, in illo 1.Ioan.1.v.7.*Sanguis Ieſu-Chriſti emundat nos ab omni peccato* : & ſic de aliis: ſicut videre eſt in Epiſtola Ioannis Gauterij data ad Gubernatorem Sedanenſem.

Qui tamen miniſtrorum conatus,frivolus apparet conſideranti. Neque enim poſſunt illæ negativæ in his affirmativis contineri; cùm ex ſuis terminis prorſus differant ; immò neque poſſint illæ ex his etiam deduci per neceſſariam conſequentiam ; de quo erit aliàs opportunior dicendi locus.

Etenim præſenti inſtituto ſatis eſt : confeſſionis Calvinianæ articulos pleroſque omnes, non *integrè fundari in puro & expreſſo verbo Dei*. Quod quandiu oſtendi non poteſt , non vanitatis modò, ſed etiam falſitatis,convincitur ipſa confeſſio.

Addimus denique maioris,ſeu confirmationis ſeu declarationisgratiâ:quamtumvis daremus in Eccleſiam Reformatam convenire ; quod tradit Calv.l.4. Inſtit.c.8.§.11.& 15. *Spernendũ non eſſe Eccleſiæ conſenſũ:ex eo quòd tota fidelium ſocietas, nihil pronuntiat n ſi ex verbo Domini* ; nihil tamen inde confici poſſe in rem præſentem.

Obſervandum quippe eſt, confeſſionem de qua loquimur , pro Gallis duntaxat conditam eſſe atque editam , & à ſolis Galliæ Eccleſiis, non autẽ à tota reformata Eccleſia approbatã aut admiſſam : cùm tamen ut habet Regula iuris 26.in ſexto: *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debeat.*

Et verò, teste Fevardentio in examine prædictæ confessionis : unaquæque reformatorum natio propriam sibi confessionem,& ut ipse ait, à Gallicanâ ferè toto cœlo differentem fabricata est; idque (addo ego) plerumque ex nutu ipsorum Principum sæcularium. Atque, ut testatur Florimundus Remondus libro 8. de hæresis ortu &c. c.7.n.6. Angli Calvinistæ, Gallorum nec fidem, nec religionem, multò minùs cæremonias probant: Germania quoque nihil ferè cum utrisque habet commune.

Additque à Bernensibus Zuinglianis anno 1555. cum cæteris Calvini scriptis, ejus etiam confessionem ut hæreticam & blasphemam, publicè esse combustam.

Quid, quod ipsi quoque Calvinistæ in Synodo nationali Dordracenâ congregati confessionem, non Gallicanam, sed Belgicam; & Catechismum, non Gallicanum, sed Heydelbergensem, velut verbo Dei magis consentaneum præeligere visi sint? Quamquam in suis ipsi decretis, isti seu Cathechismo, seu confessioni; non usquequaque congruentia tradiderint; ut videre licet apud Ioannem Malderum Episcopum Antuerpiensem, in Anti-Synodicis.

CAPVT



CAPUT XXXV.

Variis exemplis ostenditur ipsos Reformatos, confessionem fidei suæ, pro indubitatâ credendorum regulâ non habere.

PORrò quæ in nostri pronuntiati comprobationem capite superiori, deduximus; videntur esse ejusmodi, ut non pauci de Calvini schola simili aliqua consideratione inducti confessionem fidei suæ, non usquequaque certam ac fixam, sed ulteriori examine dignam censuerint, Quod nonnullis exemplis demonstrari, non parum conducet in rem præsentem.

In-primis igitur attendi possunt, quæ apud Batavos Provinciæ vltrajectivæ ordines in Synodo quadam Calviniana anno 1612. habitâ & à Petro Cudsemio è Belgico latinè translata, & in lucem edita, eam in partem constituerunt sive declaraverunt. In cujus nimirum synodi Prologo, postquam articulo 2. declarassent; nullam aliam à se agnosci fidei vitæque regulam quàm solum verbum Dei, scriptis Veteris & Novi Testamenti, nempè Prophetarum & Apostolorum; expressum & subinde articulo 3. injunxissent verbi Ministris, ut teneant & servent capita Christianæ Religionis symbolo Apostolico comprehensa; ac insuper libellum cui Titulus *Confessio fidei Belgicarum Ecclesiarum* : Attendentes simul ad concordem confes-

sionem

fessionem aliarum Evangelicarum Reformatarum Ecclesiarum, in unam harmoniam anno 1581. redactam: ad extremum articulo 4. expresse, & Calvini verbis consentaneè subdunt: *Iudicant nihilominus, præfatam confessionem Belgicam* (cui utique Gallicanam confessionem non anteferant) *aliorumque similes, examinabiles esse ad sacram Scripturam.* Vt scilicet exactiùs cognoscatur, utrùm illæ ipsi Scripturæ sacræ satis congruant. Per quod apertè ostendunt, se de confessionum Reformatarum sinceritate diffidere, neque illarum articulos pro indubitatis, aut certâ fide tenendis habere.

Ad idem facit, quod in eadem Batavia Calvinianæ sectæ Ministri in synodis Goricomensi atque Delphensi, expresso decreto, Confessionis Belgicæ & Cathechismi Heydelbergensis revisionem, expetendam ac procurandam esse constituerint. Quod quidem non facerent, nisi iudicarent aliquid in eis ulteriori discussione dignum, ac proinde non prorsus certum atque indubitatum esse. Ex quo consequens est utriusque scripti autoritatem, apud illos ipsos vacillasse.

Cùm autem postea per occasionem nationalis Dordracenæ synodi eam revisionem postulare cæpissent Remonstrantes, principiò quidem, Revisionis nomine offensi ij, qui tam Confessionem, quàm Catechismum pro certâ fidei normâ haberent, ab eo postulato, valde se alienos ostenderunt. Sed ut appareat complures Patrum diversæ sententiæ fuisse, ad extremum tamen postulato annuit synodus. Quamquam, ut videre est in ipsis Actis, nihil denique effectum sit; intercedentibus

intercedentibus Theologis Palatinis, ex expresso mandato sui principis; qui variari quidquam in suo Cathechismo noluerit.

Tandem quod ad mentem ipsius Dordracenæ Synodi, universam quasi Calvinianam Ecclesiam repræsentantis, & fermè rigidis Calvinistis constantis, deprehendendam attinet; ponderari velim hæc eius verba relata à Maldero supra, cap.1.num.14. *Synodus hac Dordrectana, per nomen Domini obtestatur, ut de Ecclesiarum Reformatarum fide, non ex concervatis hinc inde calumniis, aut etiam privatis nonnullorum, tum veterum, tum recentiorum Doctorum dictis, sæpè etiam aut malâ fide citatis aut corruptis, & in alienum sensum detortis, sed ex publicis ipsarum Ecclesiarum confessionibus, & ex hac orthodoxæ doctrinæ declaratione, unanimi omnium & singulorum consensu firmatâ, iudicent.*

Vbi In-primis observet Lector ingenuus: pubicas Ecclesiarum Reformatarum Confessiones, & orthodoxæ doctrinæ declarationem in Synodo factam, ab ipsa Synodo, pari loco haberi; sive, istud utrumque, ut certam fidei Reformatæ ideam, normam, amussim perinde constitui. Ex quo ulteriùs consequens videtur: ut quemadmodum explicuit Synodus, non esse intentionis suæ, per declarationem, sive definitionem suam, constringere conscientias, sed unicuique esse liberum ab eâ privatim dissentire: idipsum etiam de Ecclesiarum Confessionibus intelligere

censenda sit.

censenda sit. Cùm nulla appareat ratio, quantùm est ex parte ipsius Synodi, de utraque normâ diversè sentiendi, seu decernendi.

Quia è contrà, siqua esset, eâ in re agnoscenda diversitas; potiùs censendi essent Synodi Doctores, decretorum suorum unanimi omnium consensu firmatorum incolumitati consulere, quàm particularium Ecclesiarum cõfessiones, easque ut suprà dicebamus, inter se subinde contrarias, sartas tectas tueri velle.

Porrò ea quæ dixi, assertionem superiùs propositam, adeò evidentem efficiunt; ut planè mihi persuadeam, complures etiam esse in Galliâ Calvinianæ sectæ Doctores (nam vulgus ista non attendit, aut considerat) qui perinde atque hi quos memoravi, de variis Confessionis suæ articulis sese intus affectos sentiant, quidquid exteriùs præferant. Cui sensui meo confirmando, non pigebit proferre, quod ex viro gravi accidisse cognovi in ipsa Galliâ, eam rem narrante, ut sibi testatissimam, quòd ex ore eius, cui contigerit, accepisset, possetque adhuc ex eius amicis, qui superessent de ipsius facti veritate cognosci, si quem eius rei cupido incesserit.

Aiebat igitur, virum eo in regno pernobilem, comitem de Brassac, sectæ Calvini per ea tempora professorem, qui deinde inter utriusque regij ordinis equites allectus, ad primarias etiam legationes ac præfecturas adhibitus est, cùm circa nescio quem Confessionis Reformatæ articulum; validâ pulsatus dubitatione, fluctuaret animo, nec perspiceret satis, quâ ratione id dogma,

dogma, inter certæ fidei articulos, propositum esset: eum scrupulum suum ut evelleret, accessisse demum ad Petrum Molinæum, non obscuri nominis, eâ tempestate, Charentonij Ministrum. Cui, cùm æstum animi sui candidè aperuisset, illum pari sibi ingenuitate professum esse, circa rem propositam non absimili hæsitatione, seu diffidentiâ laborare se: neque adeò unquam sibi probatum, quòd is articulus in Confessionem fidei Ecclesiarum Reformatarum relatus esset: & siquidem sibi integrum foret; eundem, & quosdam alios, ex ipsa confessione expuncturum.

Quo responso prorsus inopinato, hæsit ipse comes nonnihil attonito similis; at mox ipse secum.

Itane igitur ludificamur, inquit; & in iis ipsis, quæ fidei nostræ Confessio, velut certâ fide tenēda proponit atque præscribit hæsitātes atque fluctuantes, omni vento circumferemur? nec jam fixi quicquā habebit nostra Religio; sed id quod hodie, cōmuni Ecclesiæ consensu, ut fide certū tenuimus, cras expūgetur ex ipsis fidei articulis, & sensim, veluti conversâ scenâ, aliam denique ab illa primæva, Religionis faciem, decretorum formam aspiciemus.

Iamque verum erit, quod nobis objectant Pontificij: nos, temerè contempta veteris Ecclesiæ testatissimâ autoritate, pessundatis Patrum traditionibus, sanctissimorumque conciliorum decretis firmissimis, dum purum & putum verbum Dei sequi jactamus, illud pro suo quisque sensu ac gustu interpretantes, decreta fidei hodie figere, cras refigere; &, breviter, pro puro Dei verbo,

verbo, commenta noſtra, humanoſque ſenſus ac cogitationes obtrudere?

Quin igitur, quando in re tanti momenti, quanti eſt æterna animæ ſalus, tutiora omnia ſectanda ſunt: quin; inquam (aiebat) veteri potiùs noſmet reddimus Eccleſiæ; quæ depoſitum Catholicæ antiquitatis, & SS. Patrum, circa ſcripturæ ſenſum, & fidei dogmata, perpetuâ ſerie uſque huc deductis traditionibus inſiſtens, in eo quod ſemel, ut ad fidem pertinens conſtituerit, perſeverat immota, vera nempe columna & firmamentum veritatis.

Hæc igitur ille, hiſque paria ſecum ipſe convolvens, perinde atque ſi Deum intus ſe admonentem ſentiret; atque his Auguſtini verbis, libro de *utilitate credendi* cap. 17. hortantem; ubi enumeratis variis præſidiis; quibus in ſalutis viâ quærendâ, humanæ mentis imbecillitati conſultum voluit, ſumma atque benigna Providentia: *Cùm igitur* (ait) *tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus: dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ uſque ad confeſſionem generis humani, per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majeſtate, damnatis, culmen autoritatis obtinuit: Cui nolle primas tradere; vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.*

Quæ ſanè omnia in Romano-Catholicam Eccleſiam ſpeciali titulo, proprioque iure convenire ſtatim animadvertet, quiſquis voces ipſas, abſque contrario præiudicio, expenderit.

Inter

Inter has igitur cogitationes, mutandæ deinceps Religionis consilia coquens, ac parturiens generosus animus, Deo illuminante, manus dedit agnitæ veritati, & quod prudenter deliberavit constituitque, promptè & securè aggressus, Romanæ gremio sese condidit Ecclesiæ.

Tu, siquis hæc legis eodem forsan in Labyrintho oberrans, & siqua te tuæ salutis in tuto collocandæ urget solicitudo, parili te filo evolve.



CAPUT XXXVI.

Aßertionis suprà positæ aliunde petita confirmatio.

Idem fidei Calvinianæ incertum, ambages, perplexitas; sive, qui eius articuli ad dictæ Confessionis quasi substantiam pertineant, obscuritas atque dubitatio; vel inde quoque manifestè ostendi potest; quòd istius sectæ ac disciplinæ coryphæi, hos etiam qui, de aliis sectis, in multis confessionis suæ articulis à Calviniana seriò palamque dissentiunt, attamen in suæ fidei communionem vocent, & unius secum Ecclesiæ mẽbra esse profiteantur; Ex quo consequens, est, quod dicebamus, ex ipsorum sensu, non omnes fidei Calvinianæ articulos, pro indubitatis, & quorum assensus ad salutem æternam necessarius sit, haberi, & hinc ulteriùs ipsius Confessionis autoritatem incertam & vacillantem esse.

Audiatur in-primis Theodorus Beza, qui epistolâ primâ ad Andream Duditium, (in qua illum principiò vidimus, fœderatorum suorum in materiâ Religionis inconstantiam deplorantem, de Lutheranis, Calvinistis, Zuinglianis, aliisque sectariis agens: *Colligimus*, inquit, *omnes cum Christo; & in reipsa convenimus; etiamsi, vel in ratione docendi adhuc, discrepemus, vel etiam in rebus nonnullis, salvo tamen manente fundamento.*

Et Paulò pòst, loquens de erroribus Vvestphali, Heshusij, Brentij, aliorumque Lutheranorum à se refutatis, expresse ait: *eos (excepto ubiquitatis dogmate) non esse ex earum quæstionum genere, quæ substantiam ipsam Christianæ Religionis respiciant.*

Circa quæ, pluribus, quæ urgeri possent, prætermissis: Quæro ex te duntaxat, mi Theodore (ut te ego compellem blandiùs, & non cum illo ex amicis tibi Lutheranis, memorato scilicet Tilmanno Heshusio, Epicuræum te, & blasphemnm scurram appellem) quæro, inquam, ex te, an saltem controversiam illam, de verâ & reali, vel figuratâ tantùm, Corporis Christi in Sacramento præsentia, in minimis habeas, aut articulum illum ad substantiam ipsam Christianæ Religionis pertinere non putes?

Nam si quæstionem hanc pro tali habes, cuius pars utralibet, salvâ Religionis substantiâ, & fidei unitate, teneri possit: cur eâ de causâ, adeò insolenter baccharis in nos? cur eo præsertim nomine, nos ut hæreticos, ut impios, ut idololatras aversamini? Si autem è contrà, eum articulum,

articulum, uti revera eſt, ſummi in Chriſtianâ Religione momenti eſſe exiſtimes; atque eapropter, dogma de figuratâ duntaxat corporis Chriſti ſub ſacris ſymbolis præſentiâ, inter primarios fidei Calvinianæ articulos reponitis: quâ fide, per Deum, quamque rectâ mentis conſcientiâ, immò quàm enormi, quamque probroſa, in fidei negotio contradictione, oppoſitum Lutheranorum dogma, quod pro hæreſi apertâ habere debes, profiteris nunc (excepto illo, de Brentianâ ubiquitate) ſubſtantiam ipſam Chriſtianæ religionis non reſpicere; Et dum ſalvum ſit fundamentum, hoc eſt (quantum ex ipſis circunſtantiis datur intelligi) dummodo in impugnanda Romana Eccleſiâ damnandiſque, quas vocant, Papiſticis traditionibus, & puro putoque verbo Dei ſcripto, pro regula fidei ſequendo, deque iuſtitia ſolius fidei ſecum conſpirent; cætera non eſſe tanti momenti, quò minùs ij cenſeantur in eandem fidem ac Religionem reipſa convenire.

Ex antiquâ rurſum familiarique hæreticorum indole; de quibus jam olim Tertullianus, de Præſcriptionibus cap.41. *Pacem quoque*, inquit, *cum omnibus miſcent. Nihil enim intereſt illis, licet diverſa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent.* Cui conſonans S. Hieronymus in cap.7. Iſaiæ, dicit, id quod ibi de Razin & Phazee dicitur, juxta anagogen referri ad hæreticos, conſentientes ſibi, ut expugnent Eccleſiam.

Ergo idem dogma de vera & reali in Sacramento Chriſti præſentia, ſeu de orali, ut ipſe loquitur,

loquitur, corporis Christi manducatione (attende, amo te, Lector optime) ex Evangelio secundum Bezam, in ore Catholico impium delirium est, monstrum cyclopicum, commentum denique, quo nihil neque magis falsum, neque minùs ad Sacramentorum finem accommodatum fingi potest; quæ sunt ipsius Bezæ voces parte 2. de re Sacramentaria q. 56. & 58. idipsum in ore Lutherano, quamdiu quidem de causâ communi, sive de susceptâ adversus Catholicos conspiratione fovenda agitur; quiddam est, quod ferri, sive dissimulari possit, utpote jam ipsam Religionis Christianæ substantiam non respiciens.

Ita nempe res habet, quatenus scilicet, ut Sampsonis vulpeculæ, colligati, caudis, ad Ecclesiæ Romanæ segetibus perniciem importandam, consentiunt. Nam si inter illos, de dogmate aliquo controverso propria lis instituitur; jam sibi mutuo aperti hostes, & hæretici sunt; atque (ut separati capitibus) adversus invicem, non tantùm latrant, Ambrosij phrasi, sed seipsos quoque dirè commordent & lacerant.

Siquidem his Sampsonis vulpeculis ex mente Patrum, ritè adumbrantur hæretici: qui, ut ait S. Augustinus, scribens in Psalmum 80. *Consentientes in posterioribus, tanquam caudis colligati, trahunt ignem corrumpentem, sed non incendunt nostrorum segetes.* Ambrosius autem in Psalmum 118. enarratione 12. ait, *per hanc figuram significari*; quod *fraudulenti homines, & maximè hæretici, liberam*

ram habeant linguam ad latrandum, sed exitus infelices.

Verùm, ut à Beza in præſentiâ me expediam; quando is,ſuper re huic affini,non ita pòſt nobis erit iterum conveniendus: duo quædam hoc loco, ex eo libens intelligam.

Primum: quidnam cauſæ ipſe proferre poſſit, cur cæteras quidem Lutheranorum Calvino adverſas opiniones neget Chriſtianæ Religionis ſubſtantiam reſpicere; ipſumque dogma præſentiæ Chriſti in Sacramento,in quo Calviniſtæ capitaliter à Lutheranis diſſident, non dubitaverit inter adiaphora referre; attamen dogma ubiquitatis, unum unicè exceperit. Quia etſi iſtud perabſurdum eſſe,confitendum ſit;non tamen hæc poteſt propria ac præciſa eſſe ratio, cur ſingulariter excipiatur à communi cæterorum conditione.Præſertim autem cùm ipſe Beza alibi ab eo ſe non alienum oſtenderit.Vti apparebit, ſiquando prodeant, quæ affecta habemus, de corporis Chriſti in Sacramento veritate.

Sed nimirum,quibus per novi Evangelij ſcita, licitum eſt ex ſpiritu privato,hoc eſt in reipſa ex proprio cuiuſque arbitrio,ſensũ qui eis placuerit, ſcripturæ verbis aſſignare,& ſic quodammodo, quod ſibi complacitum fuerit, fidei ſuæ articulũ facere;hoc nihil mirum eſt,pari licentiâ, quinã, ut ita loquar, primi aut ſecundi aut tertij ordinis ſint articuli,definire;aut etiam eidem dogmati,prout rebus ſuis commodare cenſuerint, nunc majus,nunc minus pretium,æſtimationemve, ſive certitudinem,taxare.

Ex quo conſequens ſit,quod principiò ſignificabamus,articulorum Calvinianæ fidei autorita-

tem etiam apud ipſos Calviniſtas incertam atque dubiam eſſe.

Alterum: ſi Beza, illud ipſum dogma de reali Chriſti in Sacramento præſentiâ, cùm ea quæ nunc ex ipſo protulimus traderet, etiam in Tilmanno Heshuſio tolerari poſſe, & diſſimulari cenſebat: quâ ratione, cùm adverſus ipſum eo de argumẽto ſcriberet, ſcænâ jam conversâ, & quòd eo loco ita ad ſuas rationes faceret, licuerit illi eundem Tilmannum, eo ipſo nomine; *Polyphemum cyclopem, ſimium caligatum, aſinum bipedem, ignorantiſſimum ſophiſtam, petulantiſſimum furciferum, appellare*; & aliis exornare bellis encomiis, quæ Gallicè expreſſa legere eſt in Petri Cottoni Relapsu Genevæ plagiariæ, Dialogo 3, §. 10.

Verumtamẽ hoc & ſimilia ad ſcopum noſtrũ apprimè faciunt; quò vel hinc clariùs appareat, apud ſectarios nihil eſſe fixum aut ſtabile: ſed illos nunc in hanc, nunc in oppoſitam partem inflecti, prout illos oblata occaſio, vel diverſus animi impulerit affectus.

Quid, quod ipſe Calvinus; qui, ubi nobiſcũ, de eadem reali corporis Chriſti in Sacramento præſentiâ, diſceptatio eſt, tantâ excandeſcit animi impotentiâ, ut inſanum appellet, ſi quiſquam inſtet, *quidni faciat Deus, ut caro eadem plura diverſaque loca occupet*; & cuius diſcipuli, eius maximè dogmatis gratiâ Religionem ac fidem Romano-Catholicam, averſantur: is ipſe in ſuis adverſus Ioachimum Vveſtphalum Lutheri ſectarium Admonitionibus, poſtquam ſuper eodem fidei dogmate diutulè eſſet altercatus; ad extremum, quaſi Lutheranos nollet nimium habere offenſos,

Lib. 4. Inſt. c. 17. §. 24.

offenſos; iis ſimilis qui aliquantum inter ſe digladiati, dextras conjungunt pacis gratiâ; ita ille poſtremâ admonitione, quaſi in re non tanti momenti pacem affectans, adverſarium, his alloquitur: *Prudenter conſiderant quod res eſt; cùm utrimque inter nos conveniat, verè nobis in cœnâ offerri Chriſti corpus & ſanguinem, quorum ſubſtantiâ animæ noſtræ paſcantur, & tantùm in modo manducandi differant noſtræ ſententiæ, non eſſe hanc iuſtam digladiandi cauſam.*

Eundemque refert apud Contzen in Iubilo ad annum 1535. Henricus Eckardus Lutheranus, pari diſſimulatione alio quodam loco dicentē: *quæ initio certaminum maximè exacerbarint animos, nunc eſſe extra controverſiam: ſolùm de modo edendi certamen eſſe.*

Similique modo cum ipſo Luthero molli manu rem agunt Sacramentarij. Quippe, qui, ipſo Luthero teſte, libro quē inſcripſit; *Defenſio verborum cœnæ, contra fanaticos Sacramentariorū Spiritus: Rem aiunt eſſe levem, & pugnam exiguam, indignioremque, quàm ut propter eam charitas Chriſtiana rumpatur.* Sic illi.

Acriter ob hoc indignante Luthero; & eam hæreſim, velut à diabolo profectam, execrante.

Quid autem hîc dicas, cordate lector?

Niſi tibi videri: eiuſmodi homines in re tanti momenti, ſic ſe gerere, quemadmodum olim, teſte Macrobio, joco innocente facetè luſit Caſellius Romanus Iuriſconſultus. *Lapidatus*, inquit citatus autor, *à populo Vatinius* (odioſum utique toti populo Romano nomen) *cùm gladiatorium munus ederet; obtinuerat, ut Ædiles edicerēt, ne quis in*

Lib. 2. Sat. c. 6.

in arenam, nisi pomum misisse vellet. Fortè iis diebus Casellius, consultus à quodam, an nux pinea pomum esset, respondit: Si in Vatinium missurus es, pomum est. Quasi è diverso si in quem alium, non perinde atque Vatinius, invisum populo, missurus esset, non jam pomum, sed prædura nux sit, & instar lapidis habenda. Ita enim illi, siqua de dogmatis instituatur disceptatio, prout rationibus suis magis expedire senserint, uni eidemque articulo, aliud & aliud nomen imponunt; & si, exempli causâ adversus Papistas agatur, jam utique putida hæresis, commentum impium, portentum cyclopicum est; contrà autem, si cum iis agant, quos minùs velint habere offensos, res utique adiaphora est, & quæ salvo fidei fundamento & charitate Christianâ defendi possit.

Quemadmodum olim observes itidem fecisse Pelagium & Cælestium; qui tametsi cum S. Augustino de peccato originali acerrimè digladiarentur; tamen, quòd ita è re sua esse existimarent; *volentes astutè*; quæ verba sunt S. Augustini; *hæreseos invidiam declinare, asserebant istam, præter fidei periculum, esse quæstionem: ut videlicet, si in eâ fuissent exorbitasse convicti, non criminaliter, sed civiliter, errasse viderentur.* Sic Augustinus.

Lib. 2 contra Pelag. &c. cap. 2.

Sed jam Beza rursus, ex promisso nostro, nobis conveniendus est.

CAPVT



CAPVT XXXVII.

Eandem in finem, aliud Bezanum pronuntiatum expenditur.

THeodorus Beza in Iconibus virorum Illustrium sui sæculi; ubi, permixtim indiscretéque commemorat, atque ut de vera Christi Ecclesia benemeritos, exaggeratè commendat, quotquot sæculo superiore, ab Ecclesiæ Catholicæ gremio se subducentes, ipsi quoque Romano Pontifici furiale bellum indixere; tametsi aliàs ab ipso Calvino, ejusque sectâ, capitaliter dissideant. Eò denique vesaniæ devenit, ut diceret: Primos ac veros Europæ Apostolos, hosce fuisse: *Ioannem Huß, & Lutherum in Germania; Zuinglium & Oecolampadium in Helvetia; Hieronymum Savanarolam in Italia; Farellum & Calvinum in Gallia; Vvicleffum & Bucerum in Anglia; Ioannem Knox & Buccananum in Scotia.*

In quo quidem suo, egregio scilicet commento, Beza; partim, vel ipso primo intuitu, absonum sese & ridiculum; partim inscientem ac vecordem ostendit. Vt qui minùs advertat quantum eo facto, sive generatim universæ Reformatorum Synagogæ, sive speciatim suæ Calvinianæ sectæ præiudicet. Quod placet hoc loco aliquanto pluribus exponere.

Primùm enim; ut jam de electis à Christo,

ſibique adjunctis, Apoſtolis, Diſcipuliſque nihil dicam: habuerunt Europæ nationes, proprios ſingulæ, ſive à prædictis Apoſtolis, ſive plerumque à Romanis Pontificibus, ſubmiſſos Doctores; qui, ob Evangelium, fidemque Chriſti, ſive Gentibus illis primùm invectam; ſive, cùm eius obſervantia intercidiſſet, inſtauratam; earum Gentium Apoſtoli cognominati ſunt. De quibus, ſi ex Beza quæram, quo loco illos habendos cenſeat; neſcio ſanè quid reſponſurus ſit. Conſtringetur enim Vulpes iſta, hoc dilemmate; ut ſi veros fuiſſe Chriſti Apoſtolos confiteatur; cogatur conſequenter fateri temerè ſe, ac falsò, mendaciterque ſcripſiſſe; Novatores illos, quos memoravit, primos fuiſſe ac veros ſuarum Gentium Apoſtolos. Sin falſos dixerit: apertè ſequatur; diverſam profectò doctrinæ, morum, Religioniſque formam, Gentibus illis ab initio inſtillatam, ab ea quam nunc vulgo prædicent, iſti, novi typi moriſque Apoſtoli; Neque enim ab his appellari poſſent falſi Doctores; niſi quia doctrinam tradiderint ei contrariam; quam ipſi veram exiſtiment.

Igitur, ſicuti Arianos Mediolanenſes, ſermone de Sanctis MM. Gervaſio & Protaſio, olim redarguebat B. Ambroſius: qui, cum teſtatiſſimam notiſſimi cæci, ad attactum veſtis, quâ eorum Sanctorum *Sacræ Reliquiæ* (ſic enim loquitur) veſtiebantur, illuminationem; omninò negare non poſſent; id tamen meritis ipſorum Martyrum attribuendum diffiterentur; illos, inquam, ex hoc ſcitè redarguebat Sanctus Præſul; quod eam gloriam Sanctis Martyribus invidentes,

oſtenderent

ostenderent alterius fidei fuisse Martyres, quàm ipsi credunt. Ita prorsus de Beza & Novatoribus dicere liceret in proposito. Neque enim illos primævos Gentium singularum Apostolos falsos Doctores appellarent; nisi (quod item ait Ambrosius) *fidem in his fuisse eam, quam ipsi non habent, iudicarent.*

Atqui nec hoc ipsum passim obtrudi, vobis, ô boni, sat tutum esset. Neque enim audire sustinebunt populi, sese principiò, à suis illis Apostolis, quos ut sanctitate vitæ præstantes, & prodigiis illustres, ipsi suspiciant, falsâ religione imbutos: Quidquid de eo sit, quod dicere soletis, irrepsisse sensim abusus varios; quos reformari oportuerit. Possetisque meritò, cum Scribis illis à Christo de Ioannis baptismo interrogatis, apud vos ipsi cogitare: si dixerimus, hunc illumve hujus illiusve nationis Apostolum falsum Doctorem, seductoremque fuisse: *Plebs universa lapidabit nos.* Luc. 20. v. 6.

Sed neque; corruptam, ab ipsis Gentium conversionis initiis, fuisse Evangelij doctrinam; satis consonat Magistri vestri, disciplinæque vestræ, principiis; quemadmodum alibi expressiùs demonstrabimus.

Hoc primum esto.

Alterum est; quod etiam audire refugitis: Religionem vestram novam admodum & priscis sæculis incognitam fuisse: Nam cum nulla forma Religionis Christianæ, in provincias Europæ inducta sit, ante primos illorum Apostolos; secundum illud veri Apostoli: *quomodo audient, aut credent sine prædicante?* aliunde Rom. 10.

autem ante Vvicleffum nullus à vobis proferatur, vestræ Religionis Reformatæ in Europa verus Apostolus: manifestum est (ut id vobis demus) fidei vestræ prædicationem ab annis circiter trecentis; quot nempè à Vvicleffi ævo, ad hæc usque tempora fluxere, initium suum sumpsisse. Nisi fortè proclamante Calvino libro 4. Instit. cap. 9. §. 8. & cap. 1. §. 17. Ecclesiam Dei veram scilicet, sive (ex eius mente) prætensam reformatam; semper & fuisse, & extituram esse: sicut illa dicitur, prioribus sæculis, invisa fuisse & invisibilis: ita illi, ante Vvicleffi ætatem, Apostolos invisos & invisibiles assignetis. Somnia, tricæ, & nugæ meræ.

In defens. artic. fidei Cath. cap. Quid quod è diverso Martinus Lutherus; quem tomo 7. apud Cardinalem Richelium gloriantem audimus. *Primus fui, cui Deus, ea quæ vobis prædicata sunt, revelare dignatus est:* quique in Epistola ad Argentinenses, adversus Zuinglium, idipsum his verbis repetit: Christum *à nobis primò vulgatum audemus gloriari* &c. non facilè cuiquam de Apostolici primatus gloria concessurus sit.

Cùm & alioqui quod ad Ioannem Huss attinet, eum Lutherus non modò inter suæ Religionis antecessores, sed ne affectatores quidem numeraturus sit. Quippe, qui ut nosque iam suprà admonuimus, contra sectarios recentiores docuit Sanctorum invocationem, cultum Reliquiarum, monarchiam Papæ, sacrificium Missæ, transsubstantiationem, & alia plura. Vt & propterea (ut dicebamus) ipse Lutherus in Colloquiis Germanicis; cap. *de Antichristo,*

dicat;

dicat : Ioannem Huſſum, præter omne meritum, igni traditum fuiſſe : *cum tamen à Papatu* (ut falsâ quadam exaggeratione loquitur) *ne latum quidem vnguem receſſerit*: Sive ut molliori voce, ſed magis impia, in aſſertionibus articulo 30. ſcripſit: *Romano Idolo non parum detulerit*.

Similiter autem de Vvicleffo tradunt plerique autores : docuiſſe invocationem B. Virginis, cultum reliquiarum, & imaginum, ſeptem Sacramenta, animarum Purgatorium. Quem proinde velut heterodoxum damnet ipſe Melanchthon, epiſtolâ ad Fridericum Myconium, & in Apologiâ, articulo 8.

En quàm bello delectu ſuos Apoſtolos bonus Theodorus crearit, aut fabricaverit. Nam quod præterea Hieronymum Savanarolam Italiæ primum ac verũ Apoſtolum nominarit: id inquã (aliis omiſſis) ipſo dictu, cuivis qui de eo aliquid inaudierit, abſurdum ac deridiculum eſt.

Verumtamen cùm Italiæ, ejuſdem formæ Apoſtolum aliquem attribuere vellet (& mirum eſt eum ipſi Hiſpaniæ ſimilem honorem invidiſſe) atque fortè legiſſet, Lutherum alicubi aſſerentem; communem ſibi cum Hieronymo Savanarola eſſe doctrinam; eum, re non amplius examinatâ factioni ſuæ aſſeruerit. Sed hoc Lutheri dictum, à Cardinale Roffenſi fuiſſe refutatum, teſtatur Bzovius in Annalibus, anno Chriſti 1498.

Illud porrò (quod præſertim huc facit) quàm dictu fatuum & ſenſu inextricabile : Eos velut unius ejuſdemque orthodoxæ Eccleſiæ,

primos

mos ac veros Apoſtolos, seriò à Beza recenſeri; quos manifeſtum ſit, uti fide, ita & cætibus animiſque diviſos, à mutua inter ſe communione abhorrere; & ſeſe invicem pro hæreticis, & à Satana ſeductis, habere. Quaſi inter ſe poſſint, in fidei rebus, capitaliter diſſidere Chriſti Apoſtoli, aut doctrinæ ſibi contrariæ, Apoſtolicæ & ſanæ cenſeri.

Atque, ut exemplo luculento iſtud declarem: ſi Lutherus, Calvinus, Zuinglius, veri Chriſti Apoſtoli ſunt; Apoſtolica doctrina erit: Corpus Chriſti, ſaltem in ipſo uſu, verè ac realiter ſub pane & vino contineri; quia ſic Lutherus; Apoſtolica doctrina erit: non ſic contineri, ſed tamen in cœna verè & ſubſtantialiter manducari; quia ſic Calvinus: Apoſtolica doctrina erit: non verè & realiter, ſed in figura tantùm, ſeu contineri, ſeu manducari; quia ſic Zuinglius: ſinguli equidem veri Apoſtoli, ore Apoſtolico tradidêre.

Quo ſanè loco, meritò exclamem, cum germano Chriſti Apoſtolo: *Diviſus eſt Chriſtus*? Aut in Chriſti doctrina invenitur, *Eſt & non*; ſive
1. & 2. Cor. 1. manifeſta atque formalis contradictio?

Rurſum ſi tam Lutherus, quàm Calvinus Bezæ confeſſione, verus Apoſtolus eſt: ergo Luthero damnante Calvinum, & Calvino Lutherum; utriuſque doctrina ſimul & vera & falſa eſt. Quia videlicet v. g. Calvini doctrina vera, & Calvini oraculo Lutheri falſa eſt; idemque viciſſim dicatur de Lutheri doctrina.

Quod quam implexum ſit, monſtroſum & inopinabile, videtur etiam cuicunque rudi manifeſtum.

Vlterius

Vlteriùs autem attende Lector, quod vel rideas vel obstupescas. Definit Lutherus quasi ex Cathedra; & Stentoreâ voce denuntiat. *Hæreticos seriò censemus, & alienos ab Ecclesiâ Dei, Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negant Corpus & Sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistia.* *Thesi 27. contra Tigurinos.*

Quo Anathematismo, cùm, inter alios, & ipse Beza feriatur: quippe qui 2. parte quæstionum de re Sacramentaria, quæst. 58. &c. oralem (quam vocat) Corporis Christi in Eucharistia manducationem, ut monstrum merè Cyclopicum, & commentum falsissimum, explodit: eo tamen ipso, quod eius anathematis autorem agnoscit pro vero Apostolo, imprudenter sese condemnat ore Lutheri, eiusque contra se prolatam sententiam affirmat.

Ad extremum, & istud addamus, in genere majoris probri, & vecordiæ Bezanæ. Quod nempè is in Epistola ad Andream Duditium aliàs citatâ, Confessionis Lutheranæ (Augustanæ dictæ) doctrinam, quantumvis Calvini Confessioni, suæque doctrinæ contrariam, propheticam esse & Apostolicam pronuntiet; addens tamen, sese nihilominus non cogi illius assertoribus, in singulis subscribere, nec illos sibi.

In quo brevi tuo pronuntiato, quanta sit confusio, implicatio, repugnantia, cœcus es, ô bone, si non videas. *Vix illigatum tetriformi Pegasus expediet Chimæra.* *Horat.*

CAPVT



CAPVT XXXVIII.

Quàm non fraternè ſe tractent, fratres Evangelici, quos Beza contendit, ad unam eandemve Chriſti Eccleſiam pertinere.

VErumtamẽ, ut hinc etiã magis intelligatur quam inconſideratè, & ad fines ſuos inopportunè contenderit Beza, in unum corpus, & quaſi maſſam conflare, tot hæreſum, tamque inter ſeſe pugnantium colluviem: nominatim autem quàm abſurdè; coniunctim Lutherum & Calvinum pro unius eiuſdemque Eccleſiæ primis ac veris Apoſtolis propoſitos eſſe voluerit: demonſtrari iuvabit hoc loco, & tanquam ſub unum aſpectum, exponi, quàm non familiariter, ſed quàm invidioſis ac peracerbis elogiis, viciſſim exornent atque depectant, Lutherus Calvinum in ſuæ ſectæ profeſſoribus, & Calvinus Lutherum in ſectatoribus ſuis. Ad maiorem fidem ipſa proferam illorum verba, ab aliis quidem variâ occaſione relata, ſed quæ hîc præſertim videantur locum ſuum habere. Lutherus igitur à Gretſero relatus, lib. 1. contra Goldaſtum cap. 12. *Calviniſtæ*, inquit, *ſunt fanatici, progenies viperarum, animicidæ, impij, blaſphemi, deceptores, ſanguinarij, germani Turcæ, à Satana miſſi, & obſeſſi, perdiabolati, tranſdiabolati, ſuperdiabolati*. His enim bellis phraſibus utitur ille (ſi ſuperis placet) ipſo autore **Beza, primus ac verus in Germania Apoſtolus**. Qui

Qui etiam expreſsè in Colloquiis menſalibus fertur eſſe profeſſus : *eam inter ſuos, & Calviniſtas, ſperari poſſe concordiam, quæ inter Chriſtum, & Iudam interceſſit.*

Id non neſciente, neque obſcurè ferente Calvino; cujus hæ ſunt voces in 2. admonitione ad Vveſtphalum : *Lutherani tam virulento odio in nos crepant; ut citiùs illis, cum Turcis pax futura ſit, & cum Papiſtis, quàm nobiſcum induciæ.*

At Calvinus viciſſim, pari largitate Patriarchæ ſui dicta remetiens, admonitione ultima ad eundem Vveſtphalum, hiſce coloribus, ſectatores Lutheri depingit : *Lutherani, homines ſunt vertiginoſi, Cyclopes ſuperbi, factio gigantum, phrenetici, beſtiæ, prodigioſè cœci, deſperatè impudentes, falſarij & impij, calumniatores, protervi, plus ſatis bardi, faſtuoſi* &c.

En quâ ratione, præclari illi, nupero ſæculo orbi monſtratæ religionis Apoſtoli, non jam ut mulus mulum, amicè ſe ſcabunt; verùm haud ſanè familiariter, duris ſe cæſtibus contundunt: & armis quidem viribuſque adeò paribus, ut in incerto ſit; uter alteri palmam maledicentiæ reliquerit.

Et credemus, vel hos adeò impotenter atque inſanè, adeóque extra omnem Evangelicæ modeſtiæ regulam, in ſe invicem debacchantes, orbi reformando à Deo ſubmiſſos Apoſtolos? vel autores doctrinæ adeò contrariæ & repugnantis, eodem Dei ſpiritu, qui ſibi contrarius eſſe, nequit, agitatos & impulſos fuiſſe? Aut in unam denique eandemque Chriſti Eccleſiam, quod

Bezanus

Bezanus conatus cōtendit, convenire atque coire posse? Priùs (quod aiunt) lupus ovē ducat uxorē.

Et sanè à Maioribus suscepta acerba odia, in posteris etiam cum incremento perennare; ostēdunt in-primis in Germania, atrocissimæ contumeliæ, quibus assiduè, seu voce, seu scripto, sese invicem incessunt; Lutheranis subinde Sacramentarios, non Christianos, sed baptizatos Iudæos, & Mahumetanos, appellantibus. Vt non à vero videatur abhorrens, quod suprà audivimus dicentem Calvinum Lutheranis citiùs cum Papistis constituram pacem, quàm cum Calvinistis inducias esse futuras.

Nec verò blandiùs familiariusve se mutuò tractant palpantve Angliæ fratres Evangelici. Puritani, inquam, Calvinistæ, Formalistas; & Formalistæ seu Luthero-Papistæ, Calvinistas. Vt patere potest ex elogiis, quibus sese honorant apud Henricum Fitzsimon, Britannomachiæ Ministrorum l.2. c.5. lib.3. c.2. & lib.1.cap.8.

Vbi nimirum Puritani à Formalistis inter alia, dicuntur; *factiosi, contumaces, amentes, hypocritæ canes mordaces vivorum ac mortuorum, perduelles discipuli Satanæ.*

A Brounistis autem, quamvis ea secta ex Puritanis progenita sit; vocantur *impostores perniciosissimi, Calvinistici cometæ, nova Angliæ portenta, Apostatæ perfidi.* Et alio loco: vos estis (inquiunt) *fucati Hypocritæ, Pharisaici ieiunij præcones, pseudo-prophetæ, pestiferi seductores, iurati, conducti, ac cauterizati discipuli Satanæ, perditi illusores, Apostatæ Reformatores.* Sic illi.

E contra autem Puritani Formaliſtas, Proteſtantéſve, aiunt, eſſe *multitudinem reproborum & Atheorum, cœtum animicidarum, Porcos, Canes, Lupos, &c.*

Epiſcopi autem Proteſtantes, dicuntur illis, *partus diaboli, ſemi-Antichriſti, Latrones, Sanguiſugæ, Dracones, Epiſcopi diaboli, &c.* Satin' hæc planè?

Et ſatis ſanum cenſebimus Bezam, qui hos ſuorum Apoſtolorum diſcipulos ita diversè animis affectos, adeóque diſſidentes ſenſibus in unam ſeu fidem, ſeu Eccleſiam reipsa convenire exiſtimet; aut iis, qui rem intelligant, id ſeſe temerè perſuadere poſſe putet.

Niſi quis fortaſſis, ſectæ genium, & totius rei proceſſum propiùs attendens, in eam è contra nec vanè, deveniat ſuſpicionem, intimum illum Calvini diſcipulum, eo in negotio, non ex animi ſui ſententiâ, ſed dicis, quod aiunt, gratia, & in ſpeciem tantùm iſta proferre; neque veritati, ſed tempori & rei ſuæ, ut aliàs non rarò (de quo poſteà) eâ orationis formâ ſervire.

Quorſum enim inquiet, in illis virorum Illuſtrium iconibus, eorum quos ſibi præſertim infenſos ſentiat, perinde atque ſi de ipſa Chriſti Eccleſia humanoque genere, ſupra omnem modum eximiéque meriti eſſent, adeò affectata & importuna laudatio?

Vt cum exempli cauſâ Lutherum ait, *Evangelicæ lucis flammæ, è denſiſſimis tenebris ſenſim proferendæ, præconem à Deo O. M. humani generis miſerto, excitatum, & ad repurgandum Dei Templum*

Templum evocatum esse. Et infrà: *Lutheri laboribus tantùm debere Ecclesiam instauratam, quantum à multis sæculis vix cuiquam debet.*

Ibidem Zuinglium, cujus secta, sectæ Calvinianæ inimica est, commendat tamen ab excellenti doctrina, summa fide, invicta constanstantiâ quibus scilicet Alpinarum Regionum partem longè maximam, ex Anti-christi tyrannide, in Christianam libertatem asseruerit.

Similiter autem Petrum Vermillium cognomento Martyrem ibidem extollit, ut rarum Phœnicem, excellentem Theologum, ac fidelem Martyrem: qui tamen ob invectam à Calvino, realem Christi in Eucharistia (absque reali sub sacris Symbolis præsentia) perceptionem, seu manducationem, à Calvino deficiens, dum sese ad illam refutandam accingit, non sine veneni à Calvinistis propinati suspicione extinctus est; ut autoribus citatis, tradit Gaulterius; ubi de ipso Petro Martyre sæculo 16.

Tandem Calvinistæ qui SS. Patres, immò & Christi Apostolos suis maledictis incessere non verentur; cæterarum sectarum, tametsi Calvino adversantium præcones miris laudibus efferunt.

Quorsum autem inquiet? Non quod id tribuant eorum, quos laudant gratiæ; quippe qui, ut vidimus infesto odio sese invicem insectentur: sed quod suæ causæ ita se studere atque servire existiment. Sive, quòd hoc modo futurum videatur, ut saltem apud ignorantes existimetur ipsorum secta, abundare viris illustribus.

Sive,

Sive, quòd hoc modo futurum videatur, ut saltē apud ignorantes, existimetur ipsorum secta, abūdare viris illustribus. Sive etiam, ut hac ratione cæterarum sectarum professoribus, sibi quodam modo conciliatis, eos sibi adjunctos & quasi succenturiatos habeant, ad Ecclesiæ Romanæ impugnationem: ut quamvis cœtera divisi (iuxta aliàs à nobis prolatam, de mente Patrum, Sampsonis vulpium allegoriam) attamen caudis colligati sint, ad segetibus nostris, pro voto suo, perniciem aliquam importandam. Sive denique, quòd vesano odio, & cœco furore in Romanum (ut passim appellant) Antichristū incitati, & illius subversionem, quem sibi præsertim infensum intelligant, omni studio & unicè intenti, cœtera dogmata, quibus ab invicem capitaliter dissentiunt, dissimulanda putent, & isto veluti salvo manente fundamento, reliqua omnia, pro adiaphoris, habeant.

Quemadmodum etiam videas Calvinum non utique absimili Spiritu, in confessionis Regi Christianissimo oblatæ, articulo 28. omnes Romano Pontifici adhærentes, verbis odiosis & exaggeratis, abscissos & separatos à corpore Christi, declarare: cæteros autem sectarios, qui nihilominus ipsius confessioni adversentur, affectatè præterire. Et ipsum Bezam epistolâ illâ ad Andream Duditium, professores earum sectarum, *quæ Romano*, ut inquit, *Pontifici bellum indixerunt*, indiscretè pro suis agnoscere: non intelligentem, sese eo pacto apertissimè confirmare, quod in præsenti contendimus, & ampliùs patebit in sequentibus apud istos

Ecclesiæ Reformatores, perplexa & incerta esse omnia, neque satis constitui posse, quidnam ab ipsis necessariò credendum sit, sive quos suæ confessionis articulos, sentiant ad substantiam suæ fidei pertinere.

Atque, ut hinc quoque, Calvinistici sensûs ambages, & inextricabilis quasi Labyrinthus appareat; ex hactenus dictis inferri potest: falsò quidem reipsâ, sed non sine magno in hoc Bezæ doctrinâ, fundamento, edixisse Henricum Brandium, Zelandum Calvinistam, quod ei tribuit Hermanus Hugo in defensione consultationis Lessianæ lib. 3. Quippe qui ad argumentum Lessij, Ratione 3. obiicientis: si Calvinus missus sit à Deo, ex Bezæ sensu, ut verus Christi Apostolus; Lutherum à Deo sic missum, non esse, & è contrario: eò quòd uterque alterius doctrinam erroris & hæresis damnet. Audacter negat id verum esse; quia inquit, si dissensio inter illos est, ea tantùm est, in doctrinæ quadam circumstantiâ, non in eius fundamento. Quod, etsi ex iis, quibus illos vidimus inter sese acerbè & implacatè conflictari, manifestè falsum appareat: tamen Bezæ exemplo, visum est Brandio, quò Lessianæ objectioni occurreret, dissensionem illam elevare, & tanquam in ipso doctrinæ fundamento consentientes (quodcunque tandem illud sit fundamentum, nec enim explicant) eos eatenus inter sese conciliare.

Et simile quiddam ausum esse videas, Iuellum quendam in Anglia verbi ministrum; relatum in Britannomachia libro 1. cap. 1. Cui sanè ignotus esse non poterat, celebris ille quem suprà posuimus,

posuimus, Lutheri adversus Zuinglianos Anathematismus; quo illos seriò pronuntiat hæreticos, & alienos ab Ecclesia, addens ad extremum: *Maledicta sit charitas & concordia Sacramentariorum in æternum.* Et quæ vice versa, adversus Lutherum, declarat Zuinglius, & præsertim ejus discipuli: quorum equidem sensum, ex his ipsorum verbis Tract.3. *contra supremam Lutheri confessionem*, facilè licet cognoscere. *Quàm apertè*, inquiunt, *hîc se Lutherus dæmonium habere prodit? Quàm turpia eructat, & omnes dæmones infernales spirantia. Asserit enim diabolum, & nunc & semper Zuinglianos inhabitare: & quod pectora habeant blasphema, insatanizata, supersatanizata &c.* in quibus agnoscas frendentis bestiæ (quem pro Apostolo nobis obtrudit Vezanus Beza) consuetas voces, atque condignas. Quapropter meritò concludunt, & quærunt Tigurini: *An quisquam talia verba, vel à rabido ac infernali dæmone prolata unquam audivit?*

Apud Brerleium in Apol. Tract. 2. c. 2. sect. 10. §. 10.

His interim omnibus non obstantibus, non est veritus Ministellus ille, in Apologia pro Ecclesia Anglicana, Bezæ exemplo, apertè scribere: *Inter Zuinglianos & Lutheranos, in principiis & fundamento Religionis, nulla est discrepantia: sed tantum de una, nec ita gravi quæstione dissentiunt* &c.

Ex his autem apparet (quod, vel me tacente iam observaverit Lector meus) ex sensu usuque Novatorum nostrorum; quantumvis certum sit, & luce ipsâ clarius atroces inter illorum sectas, & perniciales dissensiones existere, ubi ta-

men causa ita postulat, sive ut Ecclesiarum Reformatarum honori & existimationi consulatur, cuique integrum esse; id etiam impudenter negare, protestando illam dissensionem, aut nullam esse, aut exiguam. Idque consentaneè cuidam alteri ipsius Bezæ pronuntiato: quem scilicet aliàs vidimus, in colloquio Mombelgartensi apertè professum: *licitum esse pro religione seu fide tuenda, fraudibus, mendaciis, ac periuriis uti.*

Claudam hoc caput: si emblematis gratiâ, Balthazaris Meisneri Lutherani ad suprà memoratam Lessij nostri objectionem, præclarum scilicet, & cognitu dignum, responsum adjecero.

Is etenim Brandio suprà relato sincerior, cùm Calvinum Luthero adversari, in quibusdam, etiam præcipui momenti capitibus, inficiari non posset; bellus & argutus sibi futurus esse visus est, si diceret: *Calvinum sanè, quatenus negavit claram scripturæ litteram*, (asserentem scilicet realem corporis Christi sub panis symbolo præsentiam) *eatenus non Doctorem, sed seductorem censeri debere: at inquantum ex sacris litteris Papales idolomanias* (si superis placet) *demonstravit, eatenus Dei ministrum fuisse ipsum*, & (quod in præsenti agebatur) *missum à Deo Apostolum, se non negare.*

Lepidè prorsus, atque argutè. Sic enim vicissim Antagonistis suis Calvinistis permiserit; Lutherum ipsum quatenus realem Christi in Sacramento præsentiam agnoscit, seductorem appellare; at inquantum Papales idolomanias

cum

eum ipsis rejicit, eum pro Christi Apostolo habere.

Nec jam quidquam oberit, quo minùs etiam omnes veteres Hæresiarchas; qui quatenus eorum errores ab Apostolica Sede damnati essent; illius refugiebant autoritatem; eâ ex parte Apostolis suis nitantur adjungere; quin & impurum Mahometem, tot in capitibus Christianæ fidei adversarium; attamen inquantum imaginum cultum, & ipse idololatriæ deputat: immò & ipsum cacodæmona, primorum parentum verbis fallacibus seductorem; prout tamen secum crucis Christi signum exhorret, inter Dei Ministros, seu Lutheranæ Religionis Apostolos, numerare.

Atque ex jam dictis istud ad extremum inferri potest; non sine fundamento Becanum, inter Aphorismos Calvinistarum, hunc ordine decimum tertium illis attribuisse: *Simulandus est consensus cum Lutheranis, ut sic facilius obruamus Papistas, & in toto orbe Christiano dominemur.*



CAPUT XXXIX.

Confessionem Augustanam, multiplicem, variam, sibique contrariam existere; ut proinde nemini Lutherano satis constare possit, quid secundum illam, sibi sit certâ fide tenendum.

COnfessionem fidei Calvinianam paulò pluribus examinavimus, nunc de Lutheranâ aliquid ad extremum dicendum.

Confessionis Augustanæ nomine, ea intelligitur: quæ à Philipo Melanchthone composita, ex parte Lutheri, & sequacium anno 1530. Imperatori Carolo V. Germanicè oblata est in Comitiis Augustanis.

Sed ut illicò intelligas, quàm aut inconsultè, aut infideliter concepta esset; aut quàm in fide suâ instabiles sint Evangelici: eam ante annum 1557. duodecies refabricavit Philippus, & quidem in gravissimis fidei capitibus, ipso etiam indignante Luthero, ut testatus est Andreas Musculus in colloquio Hertybergensi.

Et verò, ut observat Becanus, cùm ejus primæ & originalis formulæ, quæ Carolo V. oblata fuit, articulus decimus, his terminis Catholicis conceptus esset. *Docent* (scilicet Confessionistæ) *sub speciebus panis & vini adesse in cœna Dominicâ Corpus & Sanguinem Christi*: in eadem Cōfessione anno insequenti Latinè editâ, idem

idem articulus, omissa specierum panis & vini mentione, his duntaxat verbis expressus apparuit: *docent, quod corpus, & Sanguis Christi, verè adsint & distribuantur vescentibus in cœnâ Domini.*

Postea tamen, in quibusdam saltem eius Confessionis editionibus, eundem articulum plenè & apertè in sensum Lutheranum sic protulerunt: *Docent quod cum pane & vino verè exhibeatur Corpus & Sanguis Christi.*

Sed neque hoc modo subornatus infelix articulus, diu perstitit incolumis. Quippe ut apud Contzen, è Lutheranis testatur Henricus Eckardus; ipse Philippus (quippe in animo suo Sacramentarius) successu temporis expunxit ex ipsa Augustana confessione, articulum illum Sacramentariis contrarium: qui tamen ab aliis postea quasi postliminio restitutus sit. Perinde atque si in aliquo Theatro, actori uni in diversis scenis commutatâ personâ, alia injiciatur, atque alia forma vestis.

Sed eam in partem generaliùs conquerentem audimus Iacobum Andream Schmidelinum de Vvirtebergensibus; ab iis prorsus immutatam & falsatam esse Confessionem Augustanam.

Atque aliis exinde parem sibi licentiam, pro arbitrio suo, usurpantibus; ea ad extremum enata est apud Evangelicos, Confessionum fidei, & ex consequenti rerum credendarum, perplexitas & confusio, ut cùm eius rei ipsos puderet atque pigeret sectarios; nonnulli eorum seriò, sed frustra, commonerent, cavendum sedulò ne ea rerum fidei apud ipsos

 instabilitas

instabilitas, cum non levi suæ Evangelicæ Religionis opprobrio, dimanaret ad Pontificios. Quasi illud sibi assumerent, è Threno Davidico carmen: *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis; ne fortè lætentur filiæ Philisthim, ne exultent filiæ incircumcisarum.* Eaque gratia tandem indictus sit anno 1561. conventus Naumburgi, ut obviam iretur ei incommodo; dispiceretúrque inter tam varias confessiones, quid denique pro authentico esset habendum.

Cæterum hodieque nihil ea in re satis vulgo constitutum, aut compertum est: cùm passim agnoscant, nullam Confessionem eiusmodi puram, incorruptam, & non adulteratam inveniri.

Sed ipsâ proinde Lutheranâ sectâ (quod olim de parte Donati lib. 1. de baptismo contra Donatistas, scripsit antea citatus B. Augustinus), in multa minutissima frusta, concisâ; necesse sit totidem fides, totidem confessiones diversas existere; magno argumento falsitatis, sed de his plura Adamus Contzen in Iubilo.

Cap. 6.

Atque Lepidum est, & valde huc faciens, neque omittendum, quod idem refert eodem Tractatu: Ad annum sæculi superioris 57. communi partium consensu indictum Vvormatiæ, inter Catholicos ac Protestantes, de Religione Colloquium: cui præsideret Episcopus Spirensis, & quatuor Principes essent Assessores. Sed cùm in principio Colloquij visum esset ante omnia oportere, ut pars utraque fidei suæ confessionem ederet, cujus articulos parati essent pro

veris

veris & certis defendere : Catholicis illico ex parte suâ in unam eandemque fidei professionem conspirantibus; urgentibusque adversarios, ut inter tam varias Confessiones Augustianas, quamnam, & quo sensu defendendam ipsi susciperent ; cùm dies sedecim eâ in deliberatione posuissent, & magna inter illos altercatione subortâ, inter se convenire non possent: septem è duodecim (tot enim utrimque Theologi ex condicto ad colloquium convenerant) quinque reliquos à se ejecisse ; cumque nec ipsi septem adhuc inter se concordes, essent ; neque in locum ejectorum suppeterent, qui succederent: ad extremum & ipsos, ne tentatâ quidem pugnâ, subducentes se, Catholicis in campo, ut ita loquar, persistentibus, victoriam insignem, sine pulvere & sanguine dedisse. Sic ille. Sed ne quis fortasse suspectum autoris Catholici eâ in parte testimonium habeat : inveniet, cui ea fuerit curiositas, Protestantes plures eidem narrationi consentientes apud Brerleium: ubi speciatim profert verba Dresseri Protestantis ; quorum hæc est extrema clausula. *Cùm ipsi inter se dissiderent Evangelici, factum est, ut neque respondere ad quæstionem Pontificiorum possent, neque cùm illis congredi : separatione igitur factâ, navari & effici nihil potuit : in quo vulnere sanando* (inquit) *satis negotij adhuc habet Ecclesia Evangelica.*

Tract. 3 sect. 4. sub finem.

Atque deserti cum opprobrio à Theologis Protestantibus prælij, ille insuper fructus, extitit ; quòd eorum unus, Ioannes Listorius, perspectâ intimè suorum Symmistarum in rebus fidei

discordiâ,

discordiâ,& quod in sectis novitiis,nihil esset solidi ac certi,deserto quinto Evangelio, sese Romanæ restituerit Ecclesiæ.



CAPUT XXXX.

Lutherum & asseclas in tradenda fidei doctrinâ, non veritati aut conscientiæ,sed tempori usuique serviisse.

TAmetsi ad istud pronuntiatum nostrũ comprobandum sufficere possit, ipsa doctrinæ Lutheri, à nobis alibi demonstrata, in plerisque omnibus fidei suæ capitibus, summa instabilitas ac varietas,immò contrarietas & repugnantia;secundùm quam liceat dicere; nullum ferme ab eo fidei dogma uno loco proponi,cuius oppositum alio loco non adstruxerit; non attendens scilicet, quid à se exquireret vis veritatis, aut sinceritas eloquiorum Dei; sed quid isti seu loco,seu tempori, magis conveniens aut expediens esset: attamen cùm idem assertum factis singularibus, exemplisque propriis,confirmari insuper ac stabiliri possit;visum id nobis speciatim præstandum in præsentia, quò apertiùs intelligant ab illo seducti populi, quàm non sinceris fidisque verbi Dei Doctoribus,inconsultè ac periculosè credant animas suas.

Neque nobis erit eum in finem laborandum in conquirendis aliorum scriptorum testimoniis: inter quos Ministri Argentinenses, libro edito anno

anno 1533. disertè pronuntiant: *Lutherum, pro ratione temporis, variè locutum, neque semper sibi præsentem fuisse*: quando aliunde nullo negotio, ex ipsis nimirum Martini dictis & factis, potest ea res prorsus convinci, &, quod aiunt, peremptoriè probari.

Audiatur igitur ipsa bestia; in-primis in Præfatione Tomi 1. Vvittembergensis, anni 1582. ubi lectorem sic alloquitur: *Invenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa & magna concesserim Papæ; quæ posterioribus & istis temporibus pro summâ blasphemiâ & abominatione habeo & execror. Dabis ergo hunc errorem, pie lector, tempori, & imperitiæ meæ.* Tempori, inquit, quòd sub ea initia, eæ essent rerum circunstantiæ, quibus se, doctrinamve suam, adhuc eum in modum attemperare atque inflectere deberet.

Eodemque facit quod apud autorem Britannomachiæ citentur hæc illius verba: doctrinæ suæ sinceritatem suspectam habentis: *Propemodum nescio, quo loco sim, & utrùm veritatem doceam, necne.* Idemque referat, Ioannem Mathesium in ipsius vitâ testari; ipsum aliquando cuidam è suis fassum esse: *quòd ea prædicaret, quæ ipse non posset credere.* L.1.c.6.&c.

Sed audiri potest libro de captivitate Babylonica, ita proloquens: *Principio neganda sunt mihi septem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda. Pro tempore*, inquit: velut sibi reservans aliter docere, si fortè temporis ratio, aliam doctrinam postulaverit. Quanquam sese illico quodammodo corrigens: *si usu scripturæ loqui velim*, inquit, *non nisi unum Sacramentum habeam, & tria signa Sacramentalia.* Ad

Ad hæc idem in parva Confessione Germanica folio (ut citatur) 55. & alibi; ita de seipso inverecundè, & fronte perfrictâ loquitur. *Sciebam Sacramenti elevationem idololatricam esse (utpote quæ sacrificium indicaret) sed tamen eam retinebam in templo Vvittembergensi, ut ægrè facerem diabolo Carolstadio.* Qui nempe, inter se atque Lutherum (cui antea fuerat coniunctissimus) dissensione inde exortâ, quòd, per Lutheri absentiam, ipso inscio, & alioqui repugnante, Vvittembergæ Missam abrogasset, & alia quædam priscæ Religionis monumenta, eatenus retenta, abjecisset, factus ei erat odiosissimus. Ergo ille ter sanctus, ille Christi verus Apostolus, ut animi sui libidini, indignationique satisfaceret; usum, quem ipse persuasus esset, Idololatricum esse, retinebat tamen; tempori utique, seu affectui suo magis, quàm veritati, & conscientiæ serviens.

Qui rursum alibi, non absimili inverecundia, at nescio annon etiam majori impietate, in has voces erumpit: *Nos tantùm ad Papistarum despectum, utque molesti eis simus; credemus verè panem & vinum manere cum corpore & sanguine Christi.*

In quibus verbis observa, Lector, particulas illas, *tantùm ad Papistarum despectum* &c. quarum hic omnino sensus est; se, vel ab hoc tantùm, quòd hac ratione Papistis contrarius, atque molestus futurus sit; substantiæ panis & vini in Sacramento perseverantiam, ut fidei suæ articulum credendum assumere; quidquid interim sit de articuli veritate, & sive hæc, sive altera pars ex verbo Dei habeatur.

Ex

Ex quo videre eſt, quàm non fidendum ſit ei fidei, cuius articuli, non ex veritate, ſed ex electione voluntaria, aut etiam ex animi impetu ac perturbatione, condantur.

Quapropter etiam varios ex ſectariis, eiuſmodi Lutheri dictorum ita puduit, ut dicerent illa Chriſtiano Theologo indigna eſſe. Inter quos memoratur Amandus Polanus Profeſſor Baſileenſis, qui iis relatis, hæc ſubiuxerit: *Nolo plura abſurda Lutheri dicta recenſere, quæ multa ſunt: quæ tegenda potiùs* (ut ſcilicet honori tanti Prophetæ conſulatur) *quàm exagitanda cenſeo.* Sic ille.

At hunc tamen Spiritum, in fidei ſcilicet negotio ſeſe tempori & occaſioni, tametsi non ex animi ſui ſententiâ vafrè accommodandi in Philippo Melanchtone primario Lutheri diſcipulo (aliis omiſſis) egregiè licebit agnoſcere. Cuius equidem rei odorem præferunt, illæ eius ad Lutherum voces, epiſtola 2. *In Apologia* (ſcilicet Confeſſionis Auguſtanæ) *quotidie multa mutamus. Subinde enim* (ſubdit) *mutanda ſunt, & occaſioni accommodanda.* Sed perfidam hominis verſuti mentem illud convincit, quod ſcænæ ſerviens perfectum ſe Lutheranum mentiretur, cùm, ut poſtea patuit, intus & occultè Sacramentarius eſſet.

Ita enim lego apud Claudium de Sainctes Tractatu de Euchariſtiâ, Repetitione primâ. *Heidelbergæ* (inquit) *excuſum eſt iudicium Melāchthonis de cœna Domini ad Principem Electorem Rheni, ubi ait: ſuam de cœna Domini fidem in publicè editis lucubrationibus ſuis, nunquam antea*

antea profiteri voluisse, attamen familiaribus amiculisque suis privatim non reticuisse; se in hac re Lutherum damnare, & Zuinglio adstipulari. Suadetque proinde, ne de verborum Christi proprietate solicitius disceptemus; sed de eorum veritate, sua unicuique libera permittatur expositio.

Atqui hic est, inquam, Philippus ille Melanchthon, conditor propugnatorque Confessionis fidei Augustanæ: in cuius articulo decimo expresse agnoscitur; quod in Sacramento Eucharistiæ verè adsit corpus & Sanguis Christi. Et ecce hunc ipsum fidei suæ & Confessionis articulum, negat habendum pro fidei articulo; sed suum de eo ait unicuique sensum liberum relinquendum. Quin si animi sui sententia exquiratur, testatur se eâ in parte, non Magistrum suum Lutherum sectari, sed Zuinglio Sacramentario adhærere.

Neque verò eam Philippi, seu vafritiem, seu nequitiam ipsi Calvinistis fuisse ignotam; ex eo confirmes, quod supra laudatus Adamus Contzen, ad annum Domini 1557. memorat: in quodam eius anni in Saxonia Conventu, Philippum (inter cæteros) etiam Sacramentarios damnasse. *Sed*, veluti subdit, *Calviniani, non ignari Philippicæ κυβείας & imposturæ; nomine Sacramentariorum, Philippum intellexisse dixerunt, eos qui verbis Christi insistunt, & τὸ ῥητὸν tenent; hoc est Catholicos & ipsos Lutheranos.*

At, amo te mi Lector; in hoc ipso procedendi modo; qui mæandri! qui fluctus! quanta errandi

errandi licentia, perturbatio disciplinæ! & poterit quisquam cui vel mica sit iudicij, & non prorsus nulla salutis suæ solicitudo istis erroribus concredere animam suam; quibus sua ipsorum fides, ambigua, fluctuans, & in contraria versabilis sit: quique ubi vel rerum æstus, vel aura temporum impulerit (ut Apostoli prudens monitum huc transferam) velut parvuli fluctuantes, circumferuntur omni vento doctrinæ, *in nequitiâ hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Eph. 4.

Quibus, ut ad rem nostram rectè exponit Commentarius Ambrosio adscriptus. *Fundatos & stabiles esse nos vult Apostolus; in disciplina fidei Catholica, quam Petrus Apostolus, revelante Deo professus est; nec ventilari nos oberrantes per diversarum hæresum pestilentiosas asseverationes, nequitiâ humanâ inventas.*

Quanquam, si mihi permissum putem, in Apostoli verbis, nequitiam & astutiam inter se disparare ac seiungere, easdemque ad statum præsentium hæresum accommodare; libens dixerim admoneri nos, ne circumferamur omni vento doctrinæ, *in nequitiâ* Lutheri, *in astutiâ* Calvini.

Sed priusquam, sive à Luthero, sive à Melanchthone abeam; placet dictis addere, quæ post hæc scripta de utroque lego apud Florimundum Ræmundum, de hæresis ortu &c. non aliena ab argumento præsenti. Et de Martino quidem, testatur hic autor illum aliquando ad Bohemos scripsisse: quod olim se eorum adversarium professus sit, inde factum: quòd Papam Lib. 1. cap. 15. n. 10.

Anti

Antichriſtum eſſe, nondum perſuaſum haberet; eoque eos, quos initio damnaverit, poſtea pro amicis & fratribus ſe palam habere, poſtquam nimirum certus iam ſit Papam Antichriſtum eſſe. Sic enim (ut ſubdit laudatus autor) rationes ſuas inſtituerat, ut quiſquis eſſet hoſtis Eccleſiæ, amicus ſuus eſſet.

Ex quo manifeſtum ſit: illum, ut pro ſuis in Chriſto fratribus, eiuſdemque fidei conſortibus aliquos haberet, non veritati detuliſſe, ſed affectui. Quanquam ſi Ræmundi teſtimonium recipimus: mirificè fluxum & inſtabilem eâ in amicitiâ oportuit eſſe Lutherum: quippe qui non tantùm ab initio, quod ſuprà vidimus, illos ut hæreticos damnaverit imò & alibi verbis expreſſis denuntiarit: *Maledicta ſit charitas & concordia Sacramentariorum in æternum*: Sed etiam poſtea tractatu de cœna Domini, Tomo 2. Germanico fol. 174. cum ſic audiamus loquentem: *Tanquam alterum iam pedem in ſepulcro habens, hoc teſtimonium & hanc gloriam ad tribunal Domini adferam: quòd hoſtes Sacramenti, Carlſtadium, Zuinglium, Æcolampadium, toto pectore damnarim* &c.

Tomo 7. Vuitemb. fol. 381.

Verùm de Philippo, laudatis rei narratæ autoribus, ita ſcribit Ræmundus libro 2. cap. 9. n. 9. Melanchthoni iam animam agenti, matrem grandævam adſtitiſſe, hiſque ad eum verbis uſam: Mi fili, extremum iam me fortaſſe tu vides: ut qui jam jam, velùt apparet, è mundo diſceſſurus ſis, & coram magno Iudice, eorum quæ feciſti exactam rationem redditurus. Tu ſcis Catholicam me fuiſſe, meque à te, ut religionem mutaverim,

verim, & diversam ab eâ, quam majores mei secuti fuerunt, amplexa sim, inductam. Nunc ego te per Deum vivum adjuro, ut quænam melior sit, mihi dicas, neque quidquam hac in re me celes. Tum Melanchthonem clara voce, ut ab omnibus intelligi posset, dixisse: Hæc plausibilior, illa securior. Plausibiliorem, opinor, appellans, Reformatam; quòd ad vulgi sensus, carnisque commoda, accommodatior sit: sed cùm Catholicam securiorem agnosceret; si non plus humanis, duceretur respectibus, quàm veritati salutique suæ consuleret; in illius sanè professione mortem oppetere elegisset.

Verumtamen neque etiamnum desunt in quos conveniat illud dilecti discipuli: *Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei.* Et quod consequens est, æternam gloriam amiserunt. *Ioan. 12.*

Tandem generatim eodem spectat, in plerisque novitias religiones professis, proclivitas summa de secta ad sectam transeundi; ubi, vel hinc aliqua offensio, vel illinc spes majoris lucri, aut commodi alterius occurrerit: certo argumento, quòd vel primùm suscepta religio, nihil admodum ipsis satisfaciat; vel quòd ei non conscientiæ ratione, sed aliquo alio temporali respectu, velut fortè fortunâ, adhæserint.

Quod quidem apud Henricum Fitzsimon crebro experimento sibi compertum, his verbis testatur Edmundus Bunnius Tractatu de Pacificatione. *Nunc planè adverto*, inquit, *homines* *Lib. 1. Britannom. c. 6.*

consentire nobis, potiùs ratione status & commoditatis, quàm ex conscientia & fide.

Addo, quod his verbis accidisse sibi refert Becanus noster.

Ante annos 14. cùm in quodam itinere essem, diverti ad rusticanum hospitem; ex quo amicè sciscitatus sum, quam religionem profiteretur. Respondit toties eo loco mutari religionem, ut vix sciret, quam sequi vellet aut deberet. Et vester, inquam, Prædicans quam sequitur? Annis, ait, superioribus Lutheranam secutus est, nunc Zuinglianam profiteri cœpit. Quid causæ? Quia Dominus loci, qui Lutheranus erat, mortuus est: nunc Zuinglianus successit. Prædicans igitur, ne cogatur solum vertere, tempori se accommodat.

In Tit. Calv. Tit. Zuingliani q. 1. n. 4.

Verùm de Luthero & Lutheranis hactenus.



CAPUT XXXXI.

Idem de Calvino & Sacramentariis ostenditur.

IN quorum sanè Novatorum classe, merito suo agmen ducat Hulricus Zuinglius, Sacramentariorum facilè princeps, & Calvini præceptor plurimum scilicet colendus. Qui quidem, quomodo & ipse omni doctrinæ vento, in fidei dogmatis tradendis circumferretur, prout nimirum tempori, rebusve suis magis congruere sentiret; proclive est, ex eius ore, ingenuaque confessione cognoscere.

Quippe

Quippe cuius vulgò feruntur hæ voces, ex Tractatu, de vera & falſa Religione, cap. de *Eucharistiâ. Retractamus hîc igitur*, (inquit) *quæ illîc diximus; tali lege, ut quæ hîc damus; anno ætatis noſtræ 42. præpoderent iis quæ quadrageſimo dederamus; quando, ut diximus, tempori potius ſcripſimus, quàm rei: ſic iubente Domino, ut tali ratione ædificemus; ne intra initia, canes & porci nos rumpant.*

Sic ille lepidus, nuper exorti Evangelii (quando eo nomine eum dignatur Beza) Apoſtolus. Perinde atque ſi Salvator Matth. 7. informans ſuos Apoſtolos, ne Margaritas; ſive pretioſam cæleſtemque Evangelij ac veræ fidei doctrinam, projicerent ante porcos; indulgeret eis, ut inter initia prædicationis, tempori non rei, ſeu veritati ſervientes; doctrinam falſam, & quæ poſtmodum retractari deberet, ſeu revocari, populis traderent. Aut quaſi faciat ad nomen dignitatemque Apoſtoli, ſive initio, ſive in decurſu Evangelicæ prædicationis; diverſam doctrinam, ſive ſibi adverſam, proponere.

Cùm & alioqui; præ cæcitate non adverteret; ſeſe eo pacto anſam dare ſectariis ſuis, ſuſpicandi deinceps; quod, quâ ratione anno ætatis ſuæ 40. fatetur ſe potiùs tempori quàm rei, ſeu veritati; ſcripſiſſe, eâdem & anno ætatis 42. etiamnum tempori ſerviens, potuerit pariter, non ex animi ſui ſententiâ ſcribere, & ſucceſſu temporis etiam ea quæ tunc docuerit, revocare. Quod ſanè apparet, non modò probroſum eſſe autori, ſed ipſam quoque diſciplinam ſuſpectam reddere, & Zuinglianæ ſectæ

vniversæ, non levem invidiam infamiamque conciliare.

Et sanè istius cerebelli magnam in negotio religionis oportet fuisse levitatem & inconstantiam, si verum est, quod quidam tradunt, eum suam de verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, expositionem, spatio trium annorum reipsa quadragies mutasse, cuius rei testem Ioannem Fabrum, in libro quem de retractatione Baltazaris Pacimontani composuit, citat Franciscus Turrianus, in Proëmio ad Tractatum suum de Eucharistiâ.

Cæterùm hanc ipsam, artem, seu calliditatem appelles, ut nempe tempori serviens variis locis variè loqueretur, familiarem fuisse Calvino, hoc loco licebit, ex eo quod dicam specialiùs cognoscere. Quippe qui, tametsi eo in negotio aliàs subinde perplexè loqui, & variè tergiversari visus esset; ipsâ ad extremum convictus rei evidentiâ, cùm, primævis illis Ecclesiæ Christi temporibus, in ea viguisse incruentum altaris sacrificium, precationes pro mortuis, Deiparæ cultum, sanctorum cum Christo in cœlo regnantium invocationem, & alia complura, quæ hodieque in Ecclesia Romana perseverant, Christianæ pietatis officia, omnino negare non posset: ad hanc sibi molestam objectionem siccè admodum, & quasi dissimulanter, respondet: *Eam ætatem non sic ab omni vitio liberam fuisse, ut pro regula habendum sit, quidquid tunc factum est: veteres quoque in errorem abreptos, dum ad legis umbras Iudaicæ nimium deflectunt, aut publico mori, seu vulgi imperitiæ, plusculum concedunt*; & similia.

L.4. Inst. c. 13.§.17 Ib. c.18.§.11. L.3.c.5.§. 10.

ſimilia. Perinde atque ſi errores illi, non niſi e ævi ſint in egregio corpore, poſſintque adeò, na quidem ætate, in Eccleſiæ vultu diſſimulari. Et verò eoſdem videas, nævorum nomine expreſſos à Miniſtris Genevenſibus, germanis Calvini filiis, in quadam Epiſtola adverſus recentiores Arianos, cuius iſta verba ſunt: *Sunt quidem, fateor, ſui in Patribus nævi; Quis enim hoc neget? ſed tales, ut fundamentum iſtud* (fidei ſcilicet) *ſalvum retineant.*

Ex quo rurſum inferas, dogmata illis contraria, qui ipſi ſunt Confeſſionis Calvinianæ articuli, ex ipſorum ſenſu ſalvâ fidei ſubſtantia, negari poſſe.

At ij ipſi porrò errores, in hodierna Romana Eccleſia (ſi ipſum Calvinum & eius ſectarios audimus) non jam nævi ſunt, aut tanquam rugæ in vultu ſenili; ſed carcinomata letifera, plagæ tabificæ atque putentes, ſacrilega nempe impietas, manifeſta, horrenda ac deteſtabilis Idololatria; ea denique ipſius Eccleſiæ corruptio, ut ex Sponſa Chriſti, iam facta ſit proſtibulum Anti-Chriſti; cur tam variè eadem in causâ? illic tam molliter; hîc tam acerbè, tam crudeliter, tamque iniquè?

Hîc jam enimverò, Lector optime, Sectarij huius aſtutiam, ſed infelicem, & in autoris ſui recidentem caput, mecum tantiſper attende. Proſpiciebat nimirum homo acutus, nec incallidus: Si priſcæ illi atque primævæ, & huic hodiernæ Romanæ Eccleſiæ, eandem formam & tanquam vultum, idem quaſi nomen appellationemve, aſſignaret, aut affingeret; inde

 conſequenter

consequenter duorum alterum sibi necessariò admittendum esse. Vt nempe, vel illam primitivam Ecclesiam, etiamnum recenti & adhuc calenti Christi sanguine aspersam, & Apostolorum spiritûs primitias habentem, fateri cogeretur, jam tum fuisse meretricem Babyloniam, & tot erroribus Evangelicæ fidei (uti contendunt) contrariis, conspurcatam atque corruptam. Quod equidem nec fidem inveniret apud cordatos; adversareturque causæ, ac scopo prætensæ Reformationis; qui, ita non semel profitente Calvino, alius non est, quam præsentem Ecclesiam, ipsâ temporum successione, à veræ fidei, morúmque sanctorum, primigeniâ sinceritate, collapsam, in antiquum statum, formamque pristinam restituere.

Sin autem, (quæ est pars altera dilemmatis) veterem illam tanquam incorruptam & legitimam Christi sponsam haberet, consequens esset, & hodiernam quoque Romanam Ecclesiam, pro justâ & legitimâ Christi sponsâ habendam. Quippe quam ab illa nihil diversam; sed consimili formâ præditam, iisdemque coloribus ac lineamentis expressam agnosceret; eodemque modo ipse de utraque & loqueretur & sentiret.

Ergo, ut saltem minùs attentis fucũ faceret, homini versuto & versabili, eâ visum est arte utendum; ut eadem dogmata ritusve, in veteri quidem Ecclesia, ut non magni momenti nævos, eosque eiusmodi, qui salvo fidei salutisque fundamento teneri possent, dissimulandos censeret; eorundem autem hodieque retentorum gratiâ, Romanam

Ecclesiam, Anti-Christi sedem, meretricẽ Babyloniam, animarum pestem ac perniciem appellaret. Quâ autem id, sive sinceritate mentis, sive doctrinæ consequentiâ; vel me tacente, quivis cordatus intelligit.

Et simile quiddam in Luthero quoque ac Lutheranis videre est. Quando ipse Lutherus commentario 2. in epistolam ad Galatas c.5.& alibi, non tantùm veteres illos Patres Hilariũ, Athanasium, Ambrosium, Augustinum pro sanctis agnoscit; sed etiam recentiores, Benedictum, Bernardum, Franciscum: quos tamen certum est, Romano Pontifici, Romanæque fidei adhæsisse, itẽque sacrificij Missæ, votorum monasticorum, aliorũque rituum (quos isti in nobis damnant, oderũt, execrecantur) observantes fuisse; &, quod consequens est, observationes eiusmodi, ipsorum quidem æternæ saluti, impedimentum nullum præbuisse.

Eodemque passu procedit Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ, Tit. *de votis monasticis*; ubi hæc & his similia adiaphora esse significat, iisque Bernardum, Franciscum, & alios sanctos, absque impietate usos esse; additque itidem viros sanctos, pariter iis uti, absque impietate. Quæ quidem quomodo cum iis, quæ iidẽ alibi, adversus hæc ipsa, tanto furore, tamque acerbè declamitant, conciliari aut cohærere possint, ego profectò non intelligo.

Sed nimirum, quod antè monuimus, jam olim sectariorum proprium est; ex eodem ore, prout res tulerit, nunc calidum, nunc frigidum efflare; & doctrinam suam variis occasionibus variè tẽperare,

perare; atque ita, velut dicebamus, quid fixè ſentiant, aut in quo ſita ſit fidei ipſorum forma propria, ſeu quaſi ſubſtantia, ipſi legenti incertum relinquere. Quod ex his quæ poſtea ſubiungam, ampliùs declarabitur.

Verumtamen quod ad Calvinum ſpeciatim attinet, aliud quiddam eſt majoris ponderis, in quo evidentiùs demonſtretur iſtorum hominum, pro uſu præſenti, temporumque ratione, huc illuc vergens ac verſabile ingenium.

Nam cùm Lutheranos inter, ac Tigurinos ſeu Zuinglianos, ingẽs exorta eſſet de præſentiâ corporis Chriſti in Sacramento, controverſia: Lutheranis, Chriſtum ſub ſacris ſymbolis (ſaltem in uſu) verè ac realiter præſentem; Zuinglianis autẽ non niſi in figurâ comparentem, agnoſcentibus: Calvinus ſub ipſa principia Zuinglij ſui placitis obſecundans, nihil niſi figuram, in toto eo myſterio, & ipſe agnoſcere viſus eſt. Sed poſtea tamẽ, quòd id ad res ſuas magis facere exiſtimaret, mediã, & eatenus in Eccleſiâ inauditam, cõmentus eſt ſententiam; ut negatâ quidem ſub ſacris ſymbolis reali Chriſti præſentiâ, defenderet tamen Corpus Chriſti, quatenus in cœlo duntaxat reſidens, verè, realiter, ſubſtantialiter à nobis in cœna mãducari, & vi illius participationis, Chriſtum verè ac realiter nobiſcum in unum coaleſcere. Quâ licet abſurdâ nec ſatis ſecum conſiſtente mixturâ, tamẽ (ut obſervat loco ſuprà laudato doctiſſimus Turrianus) *mirus ille*, ut eum appellat, *artifex fallendi*, id ſe conſequi poſſe ſperabat, ut quando eorum dictorum altero cum Lutheranis, altero cum Zuinglianis facere videretur, utroſque ſibi adiungeret. Verùm

Verùm enim cùm,eâ gratiâ,Tigurinos ſibi admodùm infeſtos pateretur; quò eos placatos ſibi redderet,veluti , palinodiam canens,librum ſcripſit , de ſuo cùm Tigurinis , de cœnâ Domini, conſenſu.

At ecce poſtea,ſcenâ conversâ, anno Domini 1556. Beza cùm Farello , Calvini Genevæ ſymmyſta,Vvormatiam profectus, quò ſectæ ſuæ in Gallia laboranti,Lutheranorum Principum gratiam & præſidium demereretur;illis,non ſuorum duntaxat Gallorum,ſed etiam fratrum Helvetiorum nomine , confeſſionem quandam obtulit: quâ profitebantur , tanquam cum Lutheranis ſentientes : Corpus Chriſti verè & realiter eſſe præſens in Cœna ; & communicantibus verè ac realiter exhiberi.

Sed,cùm,eâ gratiâ, triumphantibus Lutheranis , Zuingliani ex adverſo , quaſi proditâ communi causâ,fremerent; iis rurſum placandis,diſſimulanter repoſuit Theodorus:ſe vera ſcripſiſſe, ſed quæ Lutherani , non ex mente ſuâ acceperint. Se enim, non de cœnâ Domini , quatenus in terris exhibetur , ſed quatenus in cœlo celebratur , eſſe locutum;cuius quidem facti , teſtis locuples eſt Claudius de Sainctes,*in Examine doctrinæ Calvinianæ & Bezanæ* : additque libri *de Calvini cauſa deſperatâ* , cap. 4. Cutſemius: Iacobum Andreæ Lutheranum graviter de iſta Bezæ nequitia (nec immeritò) conqueſtum eſſe.

Sed & ipſum Bezã in Conventu Poiſiaco habito in Galliis anno 1601.ſuo ſuorumq; nomine,de præſentia Chriſti in Sacramento ſemel,iterũque exhibuiſſe

exhibuisse formulam quandam perplexam prorsus & ancipitem, ut si fieri posset, verborum fuco, ipsis Catholicis imponeret; quæ, fraude comperta, rejecta fuerit à Catholicis Præsulibus; testatur supra laudatus autor, Claudius Sainctesius, qui præsens aderat.

In cujus hæresis vestigiis, annon agnoscis, *In Psal. 80.* Lector optime, Augustinianam illam Vulpeculam, *in cavernosis anfractibus latentem, & ex unâ parte intrantem, & ex aliâ parte exeuntem.*

Verùm nos, porrò pergentes, apud ipsos præsertim Calvinistas, in doctrinæ fidei negotio incerta esse omnia; etiam altiùs repetitâ ratione, doceamus.



CAPVT XXXXII.

Calvini sectarios in constituenda fidei regulâ varios, instabiles, & inconstantes esse.

DVplici ratione, & utraque, ni fallor, efficaci, possumus id quod præfert huius capitis lemma, conficere. Quarum prior exinde petitur; quòd, cùm disertis verbis profiteantur Calvinistæ: se, præter verbum Dei scriptum, quod vetere & Novo Testamento continetur, nullam aliam fidei regulam agnoscere: in eo tamen non persistant, sed alia quædam ipsi Scripturæ, perplexè, inconstantérque superaddant, quibus similiter innitatur eorum fides.

Posterior

Posterior , ex eo quod cùm principiò , verbum Dei expressum requirerent ; deinceps istud dictum suum , tam variis modis , restringere,modificare , interpolare cæperint ; ut quid præcisè velint aut determinent , ne acutus quisquam capere aut divinare possit.

Cùm tamen nisi regula fidei , præcisè , fixè, & determinatè constituta sit,necesse sit fluctuare omnia ; sive , ipsam incertam esse , vacillareque fidei , in quacunque religione , disciplinam.

Equidem,ad prius quod attinet ; ante omnia attendenda erit , fidei Calvinianæ Regi Christianissimo omnium eius sectæ nomine , oblata Confessio. In cuius articulo 4. & 5. profitentur isti sectarij : *se pro fidei regulâ certissimâ,nil nisi verbum Dei , quod Scripturis sacris , continetur , admittere* : *cui*(utique habenti autorem Spiritum Sanctum, & veritatem omnem , quæ ad salutem necessaria sit , complectenti) *nulli sive hominum sive Angelorum licitum sit quicquam sive demere , sive addere , aut in eo aliquid quocunque modo immutare.*

Contra quæ in-primis apertè facit ; quod, ut rectè observat Ioannes Gonterius in suo lapide lydio , ostendi possit , in eâ ipsâ quam offerunt fidei confessione , multa ab illis constitui,quæ non habeantur ex Scripturis sanctis : proindeque illos id quod in eâ , verbo adstruunt , ipso facto destruere : quâ de re nos aliquid suprà diximus.

Quod etiam expressiùs apparet; in hoc,quòd ipso articulo quinto , quo definiunt Scripturam sacram

ſacram eſſe regulam omnis veritatis, cui nihil addi poſſit &c. confeſtim ſubiungant: *Conſequenter ad hæc admittimus* (utique ut certam fidem facientia; ita poſtulante ratione & unitate contextus!) *tria ſymbola, videlicet Apoſtolorum, Nicenum, & Athanaſij.* Tametſi hæc non ſint Scriptura ſacra; ſed tantùm, ut ipſimet addunt: *quia cum verbo Dei cohærent atque conſentiunt.*

Et verò, quod ad ſymbolum Apoſtolorum attinet: illud ſine ſcripto ab Apoſtolis Eccleſiæ traditum, teſtantur Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus &c. Quin etiam (teſte Gonterio ipſi Calviniſtæ in Colloquio Pariſienſi, negant illud ab Apoſtolis editum & traditum fuiſſe. Niceni autem autoritas, fundamentum habet in Concilij plenarij & legitimè approbati definitione. Et ipſe Calvinus ita illud admittit, ut nonnulla in eo reprobet; ut v.g. particulas illas: *Deum de Deo* &c. Athanaſij autem, certam autoritatem habet, non ut eſt Athanaſij; 22.q.1.a.10. ad 3. ſed quæ verba ſunt Doctoris Angelici; *quia integram fidei veritatem eius doctrina breviter continebat, autoritate Summi Pontificis eſt recepta, ut quaſi regula fidei habeatur.*

Quapropter itidem Calvinus, ne quid eâ in re videretur deferre Eccleſiæ ſenſui, aut Pontificiæ definitioni, in Synodo Lauſanenſi, teſte Fevardentio, dixit; *illud Symbolum non habere autoritatem niſi in Primis*, (ſeu, *Horis canonicis*) *Sacerdotum.*

En quanta, in paucis Confeſſionis fidei Calvinianæ verbis, dictorum inconſequentia: & quanta

quanta nunc jam, in ipſa fidei certâ Regulâ aſſignandâ, inſtabilitas ac perplexitas!

Atqui expreſſiùs apertiúſque ab eâ quam primitùs, ut ſolam fidei regulam agnoverunt, diſceſſère paſſim in Batavia Calviniſtæ. Quippe qui, vt teſtatur Tomo 4. opuſculorum ſuorum Becanus, pro Regula fidei conſtituunt Scripturam ſacram, Confeſſionem fidei Belgicam, & Catechiſmum Heildebergenſem.

Eáque gratiâ Iacobus Arminius Leydenſis profeſſor, in Apologia ad 31. articulos in vulgus ſparſos, ait ſe apud rigidos Calviniſtas ſuſpectum fuiſſe de hæreſi; quod nempè dixiſſet, Catechiſmum Heildebergenſem, & Confeſſionem Belgicam, in Synoodo nationali, examini ſubjiciendam eſſe.

A quo item ſenſu non valdè ſe alienam oſtendit Synodus Provinciæ Vltrajectinæ anno 1612. habita. In qua etſi principio teſtentur Patres congregati: ſeſe obſtrictos ad nullam aliam fidei regulam admittendam, quàm ſolum Dei verbum, ſcriptis veteris & Novi Teſtamenti expreſſum: addunt tamen velle ſe, ut omnes Prædicantes teneant ac ſervent capita Chriſtianæ Religionis ſymbolo Apoſtolico comprehenſa; ac inſuper libellum, cui titulus: *Confeſſio fidei Eccleſiarum Belgicarum.*

Quanquam ad extremum, eam Confeſſionem & ſimiles, certam fidem non facere, apertè ſignificent, dum dicunt, illas eſſe examinabiles ad ſacram Scripturam.

Verumtamen intolerabilior eſt, quorundam aliorum in eadem Batavia eo in argumento, quod

quod modò tractamus audacia. Quorum, ut affirmat ab eodèm Becano memoratus, Adolphus Venator, Minister Alcmariensis; isti inter alios, fuerunt fidei articuli.

Vera, optima, certissima & perfectissima norma totius fidei Christianæ, est Confessio Belgica; & Catechismus Heidelbergensis.

Rursum: *Ex verbo Dei non potest pura doctrina clarè intelligi; sed solùm ex confessione, & Catechismo.*

Tandemque: *ubi Confessio & Catechismus est; non egemus verbo Dei.*

Quo loco stomachum tenere non potest, quin illum, & meritò, erumpat in hos gregales suos, vir cæteroqui in multis & ipse impiè insolens, Conrardus Vvorstius; in quadam respõsione ad postremam admonitionem Ministrorum Levvardẽsium. Vbi: *Multi*, inquit, *ex nostris nullum planè discrimen, inter Catechismum, & ipsum Dei verbum amplius agnoscunt; & isto ferè prætereito, in illo solo simpliciter acquiescunt.* Et mox: *Non desunt qui idolum ex catechismo faciant, dum purè divinum scriptum esse putant, aut pari cum sacris litteris fide dignum.*

Pari autem! Immò si quis relatam à Venatore loquendi formam attendat; etiam ipsis sacris litteris anteferendum.

Quid si porrò addamus, & illas eorundem Novatorum insanas sacrilegasque voces, & in nullo, qui se Christianum profiteatur; ferendas; ad extremum ità rem omnem cõcludentes:

Autores Confessionis & Catechismi fuerunt prudentiores & fideliores pro Ecclesia, quàm Apostoli & Evangelistæ.

En

En quò denique prorumpit insaniæ, cœca & præceps istorum hominum audacia. Vt qui ex una parte Ecclesiæ Catholicæ sensum ac traditiones recusant admittere, ne, ut ipsi dictitant, nō jam verbo Dei, sed hominum sensui deferre videantur; ex aliâ modò, Ministrorum suorum privato studio confectos Cathechismos, aut fidei confessiones, ipsi Dei verbo etiam anteferant. Id nimirum illis attribuente licentiæ, privato illo cuiusque spiritu: ut sicut principiò per illum, arcano quodam internoque sapore, scripturas divinas à non divinis se discernere venditabant; simili modo, processu temporis, novitiæ illæ dogmatum fidei, & à particularibus Ecclesiis consarcinatæ collectiones, præ ipso puro Dei verbo, ipsorum palato magis sapiant, & Ecclesiæ Dei utiliores existimentur.

In quo vestigio, rursus antiquorum hæreticorum passus ac progressus agnoscas, quādo & ipsi Eunomiani, Eunomij libros, & Montanistæ Mōtani prophetiam, ipsi Evangelio ac Prophetis prætulisse noscuntur. Quā in rem audire placet B. Hieronymum, l. 1. contrà Vigilantiū c. 3. sic proloquentem. *Rides de Reliquiis Martyrum, & cum autore huius hæresis Eunomio, Ecclesiæ Christi calumniam struis; nec tali societate terreris, ut eadē contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur. Omnes sectatores eius, Basilicas Apostolorum & Martyrum non ingrediuntur; ut scilicet mortuum adorent Eunomium; cuius libros maioris autoritatis arbitrantur, quàm Evangelia: sicut aliæ hæreses, Paracletum in Montanum venisse contendunt, & Manichæum ipsum dicunt Paracletum.*

Quid

Quid quod, non jam paucæ, ut sic loquamur, ranæ in ſtagnis Batavicis coaxantes, ſed alij complures è ſectariis, eâ ipsâ blandâ perſuaſione decepti, quòd ſe interiùs agitari Dei Spiritu crederent, eoque docente, ſeſe de omnibus ſufficienter inſtrui exiſtimarent, ulteriùs progreſſi, dicere auſi ſint; ſcripturam ſacram ſibi non eſſe neceſſariam, vel certè fidem, non eſſe accommodandam ad ſcripturam, ſed ſcripturam ipſam, ad cuiuſque fidem attemperandam. In hoc enim errore fuiſſe Anabaptiſtas, Libertinos, Svvenckfeldianos, tradunt qui recentiùs hæreticorum Catalogum confecere.

Neque verò, (ut per occaſionem obiter iſtud admoneam.) illis ad hoc deeſſe poterit, ſi eo quidem uti voluerint, ſpecioſum etiam ab ipſa ſcriptura præſidium; iis nempe locis, quibus Calviniſtæ, pro ſuo illo arcano ſpiritu, uti, aut abuti conſuevere.

Quippe cùm verba illa 1. Ioan. 2. verſu 20. *Vos unctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia*; & illa etiam expreſſiora, verſu 27. *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio docet vos de omnibus*. Cùm hæc, inquam, verba generaliſſima ſibi, *omnia* nempe, & *de omnibus*; ſi per ſe quidem præcisè ſpectentur, non magis efficiunt, quod contendunt Calviniſtæ, de ſuo privato ſpiritu, ad ſcripturas veras, earumve ſenſum legitimum diſcernendum, quàm quod ultra intendunt Libertini, nullo ſcilicet indigere ſe verbi externi miniſterio, ſed ad omuia ſufficere ſibi interiorem Spiritus Sancti diſciplinam.

Hactenus

Hactenus de priore Assertionis propositæ ratione.



CAPVT XXXXIII.

Declaratur altera Doctrinæ proposita ratio.

NEque difficilius est, quod secundo loco suprà proponebamus, efficere.

Primùm enim Novatores nostri, ut à se, inducendæ in Ecclesiam Dei Reformationis, temeritatem, specioso puri verbi Dei prætextu colorarent, eoque nomine apud simplicem populum doctrinam suam magis plausibilem redderent; ubique proclamare instituerunt; nihil se nisi purum ac putum verbum Dei tradere; neque verò quidquam, nisi quod in scriptura divinâ expressis verbis contineretur, credendum esse. Imitati in eo majores suos, priscos scilicet hæresiarchas; qui, velut superiùs vidimus, eâ ipsâ escâ prolectabant sequaces suos; sed hoc interim discrimine: quod prisci, in eo dogmate, quantum apparet, constantes persisterent: recentiores autem, uti in omni fermè doctrinâ suâ instabiles, ita ab hoc ipso asserto suo, processu temporis variè ac fædè deflexerint.

Siquidem cùm inter disputandum permolestè urgerentur à Catholicis, ut hos illosve Confessionis suæ articulos, verbis expressis in scriptura contineri ostenderent, idque se frustra

conari sentirent: cogebantur denique non sine rubore, ab ea à se assignatâ fidei regulâ discedere: quemadmodum antea, de Turlacensibus Lutheranis, & Sedanensibus Calvinistis, magis ex professo ostensum.

Neque enim, quidquid perscrutentur, unquam ostensuri sunt, hunc ipsum articulum; quem ut cæterorum fundamentum præstituunt, expresse in scriptura contineri: nempe, *nihil esse credendum, nisi quod in verbo Dei scripto inveniatur expressum.*

Igitur ut se ab eâ molestâ instantiâ & insultatione, siquâ viâ liceret, expedirent; compulsi sunt dictum illud suum prætendere, seu ampliare, dicentes: *Nihil esse credendum, nisi quod in verbo Dei scripto expressum sit, aut certè ex illo deductum per evidentem consequentiam.*

Ita enim videas, Calvinianos Ministros Dieppenses, in scripto quodam prolusorio concertationi, quæ instituenda prætendebatur, inter ipsos, & suprà memoratum Ioannem Sonterium, virum ex ordine nostro, multis palmis eo in genere nobilem (qui rei seriem, libello edito: cui titulus est *Consequentia Religionis Reformatæ &c.* vulgavit) eos, inquam, videas, articulo 3. prædicti scripti sic proloquentes: *Deus loquens in scripturis, sive terminis expressis, sive per consequentias necessarias, erit Iudex controversiarum.* Idque addunt esse articulum fidei suæ.

Similiter in colloquio Ratisponensi anni 1601. apud Tannerum, qui ut aliàs dictum, eius colloquij pars erat: cùm adversarij (Lutherani scilicet) articulo 1. Thesium suarum asseruissent: verbum Dei

Dei ſcriptum, fidei Chriſtianæ unicam certam atque infallibilem normam eſſe; ita ſe deinceps explicare debuerunt, ut dicerent: *Nullum ex articulis & dogmatibus eſſe credendum, quod non, vel expreſsè contineatur in ſcriptura, vel inde per bonam, ſeu evidentem, conſequentiam deducatur.*

Non animadvertētes videlicet (quantum præſertim ad Calviniſtas attinet) ſeſe hac adjunctione, priorem illum ſuæ fidei articulum, non explicare, ſed abnegare: quando rem ipſam attendenti manifeſtum eſt: id quod ex ſcriptura per quamcunque demum conſequentiam deducitur, non eſſe purum putumque aut expreſſum Dei verbũ, ſed humanâ additâ ratiocinatione conveſtitum ac ſubornatum. Neque rurſum poſſe à Calviniſtis admitti, vel unicum ſuæ Confeſſionis Gallicanæ articulum, ex ſcriptura duntaxat haberi per conſequentiam, quin falſitatis convincatur eius Cõfeſſionis ratificatio; in qua ſic dicitur: *Omnes Galliæ Eccleſiæ approbant & ratificant ſupraſcriptam Confeſſionem, in omnibus ſuis capitibus & articulis; ut qui integrè fundati ſint in puro & expreſſo verbo Dei.* Quod quidem falſum eſt de articulo, qui ſolùm ex illo habetur per conſequentiam.

Verùm neque in eo additamento permiſſi ſunt denique conſiſtere: Catholicis rurſum nõ minùs moleſtè urgentibus; ut varios fidei ſuæ articulos, ex ipſa ſcriptura per evidentem conſequentiam deducerent; puta illum, de quo ſuprà actum eſt, videlicet Chriſtum non contineri realiter & ſubſtantialiter in Euchariſtia. Et ridiculum illum, quem certiſſimâ fide tenendum putant Calviniſtæ; Papam ſcilicet eſſe Antichriſtum: qui adeò,

nullâ veritatis ſpecie ex ſcriptura divina poteſt inferri, at magnæ Britanniæ Rex Iacobus, de eo adverſus Puritanos ita ſcripſerit: *quoad deſinitionem Antichriſti, nolo rem tam obſcuram & involutam, tanquam omnibus neceſſariam urgere.*

Ergo ad ſuarum conſequentiarum ſubſidium accerſendas putarunt Calviniſtæ, neſcio quas comparationes, proportiones, & in qua voce præſertim acquieſcunt, analogiam fidei: dicentes denique credendorum regulam; eſſe verbum Dei ſcriptum, ſecundùm fidei analogiam expoſitum. Quam loquendi formam, videntur ad extremum ad rem præſentẽ eò proniùs adoptaſſe, quò eius quadam obſcuritate, aut perplexitate protecti, minùs paterent redargutionibus; ac velut ſepiæ obfuſcatâ aquâ, ſuo ſe atramento, ne capiantur, abſconderent.

Atque eam vocem in-primis videas in hac materiâ inſinuatam à Beza, quodam Opuſculo adverſus Iacobum Andream Lutheranum: ubi de Mariæ in partu integritate agens (quam teſte Auguſtino, Enchiridij cap. 34. *tota confitetur Eccleſia*) protervè ait: *hoc miraculum, neque verbi autoritate, neque fidei analogia, neque alicuius Patrum probabili coniecturâ niti: denique ad fidem nihil facere.* Hieronymo Zanchio, Tractatu de ſcriptura ſacra; dum de eius expoſitoribus ait: eatenus illorum interpretationes ſibi amplectendas, quatenus eas analogiæ fidei, & aliis ſcripturis conſentaneas eſſe viderit. Domino du Pleſſis, præfatione ad Tractatum de Euchariſtia &c. de quo expreſſiùs infrà.

Sed

Sed præſertim placet attendere, expendereque quod eâ de re cætus integer Miniſtrorum Genevenſium, ex hac quam ſubiungo occaſione, magis ex profeſſo tradidit.

Emerſerant in Galliis, etiamnum vivente Beza, ex eâ ſcholâ nonnulli, qui quorundam dogmatum ſuæ ſectæ pertæſi, & concordiæ cum Catholicis ineundæ ſtudio, pluſculum de ſuæ diſciplinæ rigore remittentes, inter alia concederent: *Ita Scripturam ſacram eſſe ſolam & certam fidei regulam, ut tamen ei adiungenda eſſent Conciliorum, Patrum, atque Doctorum teſtimonia, tanquam verus ſcripturæ commentarius; & Eccleſiæ denique Catholicæ conſenſus, & ſacræ doctrinæ clauſula, atque ſignaculum.* Quæ fermè verba ſunt eruditi viri Ioannis Serrani, Arauſicani Miniſtri.

Adverſus hunc confeſtim ſcriptis litteris inſurrexère Beza, & alij Genevenſes miniſtri: quibus, eius conatu velut impoſſibili reprobato, quod ad fidei regulam attinet, rem omnem in hæc verba concludunt: *Cenſemus igitur tutius eſſe atque utilius, ſoli Dei verbo ſcripto, per ſeipſum ſecundum fidei analogiam expoſito adhærere: quàm prædictos ſumere, pro arbitris earum rerum, de quibus ſolius Dei eſt pronuntiare. Quod maturè tibi ſignificavimus, ne in caſſum labores* &c. Ita illi ex vrbe Geneva, ex qua ſcaturit fons primævus, & defæcata veritas Calvinianæ doctrinæ.

Attamen illis extremis, quod, de excludendis omnibus arbitris conſtituunt; quàm inconſequenter adſcriptum eſt: quando ipſi conſequen-

pro *rationem*, legere eſt, *analogiam.*

Sed præterquam quod apud Apoſtolum, vocum ambiguitas ſatis explicatur ex contextu reliquo; juxta quod varij obſervant Interpretes non aliud velle Apoſtolum, quàm, ut qui à Deo, dono prophetiæ, ſive gratiâ explicandi doctrinam & ſcripturam ſacram, donati ſunt, eâ utantur ſecundùm proportionem & menſuram fidei, ſive intelligentiæ & ſapientiæ à Deo ſibi conceſſæ, neque quidquam addant ex ingenio ſuo, multò autem minùs, extra regulam fidei quidquam loquantur aut ſapiant: in quem itidem ſenſum antè dixerat v. 3. *non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei.*

Inſuper clarum eſt, non poſſe ad eundem ſenſum applicari voces prædictas in definitione ſeu enuntiatione, de qua loquimur. Quia hîc jam quæritur, quænam ſit regula ex parte objecti, movens hominis mentem, ad hoc vel illud credendum, ut dictum à Deo. At juxta prædictam expoſitionem ſolùm ſenſus eſſet, debere quemlibet Deo loquenti credere, ſecundum menſuram intelligentiæ ſibi à Deo communicatæ: quod nihil facit ad rem præſentem.

Reſtat igitur tota difficultas: quo nimirum ſenſu in allata Calviniſtarum definitione accipiantur hæ voces, *Analogia fidei.* Nam cum analogia omnis ſeu proportio, ſit inter duo, quorum unum comparatur ad alterum; perplexum remanet, an per eas voces importetur comparatio, ſeu proportio verbi Dei ad fidem, an

... esse per respectum ad ipsam fidem seu articulos qui credendi sunt, quod jam non esset, ipsum verbū Dei esse regulā seu mensuram fidei, sed è contra ipsam fidem, seu articulos credendos, esse regulam sive mensuram expositionis verbi divini.

Posteriori autem, sensus erit: verbum Dei exponendum esse, secundùm proportionem, quam fides, sive res credendæ, habent ad ipsum verbum Dei. Per quod nondum satis determinatur, qua in re sita sit ea proportio; & videtur implicari circulus, sive vitium petitionis principij: cùm iuxta hunc modū coniunctim dicatur, verbum Dei sic exponendum, quia res credenda sic intelligenda est; & vicissim hunc articulum sic intelligendum, quia verbum Dei, quod est regula fidei sic debet intelligi.

Veruntamen hîc audienda sunt, à nobis promissa Plessæi verba, ex quibus, quamvis intricatis poterit fortassis, sub prædictis vocibus quoddā latens mysteriū erui. Ita enim ait: in re propos[...] ta requiri; *ut interpretatio, quā verbo D[...] aut recipimus, retineat semper analog[...] portionata sit, aut correspondе[...] Christiana, quā veterū al[...] lavere.* Per quæ, quid a[...] mus; nisi eo sensu d[...] servatâ semper a[...] exponendâ [...]

corpus doctrinæ religionis Calvinianæ v.g. sive non per ordinem ad articulos credendos, sed ad jam constituta; ita ut nihil, scriptum intelligatur, quod aliquomodo repugnet corpori doctrinæ sive v.g. Confessioni fidei, Calvinianæ?

In quo tametsi videatur involvi absurdũ illud, quòd hac ratione Corpus doctrinæ suæ, veluti mensuram expositionis verbi Dei constituant: id tamen non adeò alienum est ab istorum hominũ mente, quin illud alibi etiam expressiùs agnoscát.

Videatur Gallica versio Bibliorum Genevensius anni 1573. In cuius Præfatione profitentur versionis autores; se in ea adornandâ, varia addidisse, imminuisse, detraxisse, aut plures hebraicos loquendi modo emollisse; *usos in eo sanctâ aliquâ libertate, secũdùm quod Deo placuit illis elargiri de suo discretionis spiritu.* Ac deinde addunt; pro suâ scilicet autoritate; *relinquere se aliis libertatem scripturam sacram convertendi;* sed eâ adjectâ conditione: *Dummodo eorum versio conformis sit nostris articulis fidei.* Sic illi.

In quibus in-primis mirari subit, excidisse non incallidis hominibus, vocem illam *sanctæ libertatis*: [illegible] apud solertem lectorem, adjunctis præse[illegible]tremis illis particulis, de articu[illegible]dei [illegible] tectis servandis, con[illegible] inferre suspicionem, [illegible]lò licentiùs, ad eos [illegible] comparata & su[illegible] arcano discretio[illegible]ras dignoscendas, [illegible] pollere se jactant, [illegible] nobis aliisque [illegible] ipsorum

comparatio ſeu proportio fidei ad verbum Dei. Quorum neutrum videtur in re propoſita ſatis convenienter intelligi.

Quippe priori modo, ſenſus erit, verbum Dei exponendum eſſe per reſpectum ad ipſam fidem ſeu articulos qui credendi ſunt, quod jam non eſſet, ipſum verbū Dei eſſe regulā ſeu menſuram fidei, ſed è contra ipſam fidem, ſeu articulos credendos, eſſe regulam ſive menſuram expoſitionis verbi divini.

Poſteriori autem, ſenſus erit: verbum Dei exponendum eſſe, ſecundùm proportionem, quam fides, ſive res credendæ, habent ad ipſum verbum Dei. Per quod nondum ſatis determinatur, qua in re ſita ſit ea proportio; & videtur implicari circulus, ſive vitium petitionis principij: cùm iuxta hunc modū coniunctim dicatur, verbum Dei ſic exponendum, quia res credenda ſic intelligenda eſt; & viciſſim hunc articulum ſic intelligendum, quia verbum Dei, quod eſt regula fidei ſic debet intelligi.

Verumtamen hîc audienda ſunt, à nobis promiſſa Pleſſæi verba, ex quibus, quamvis intricatis poterit fortaſſis, ſub prædictis vocibus quoddā latens myſteriū erui. Ita enim ait: in re propoſita requiri; *ut interpretatio, quā verbo Dei damus aut recipimus, retineat ſemper analogiaā fidei, proportionata ſit, aut correſpondens corpori doctrinæ Chriſtianæ, quā veterū aliqui fidei regulā appellavere*. Per quæ, quid aliud nobis inſinuari dicemus; niſi eo ſenſu dici ſcripturā exponendā eſſe ſervatâ ſemper analogiâ fidei, inquantum in eâ exponendâ ſemper habendus ſit reſpectus ad corpus

corpus doctrinæ religionis Calvinianæ v.g.ſive non per ordinem ad articulos credendos,ſed ad jam conſtituta;ita ut nihil,ſcriptum intelligatur, quod aliquomodo repugnet corpori doctrinæ ſive v.g. Confeſſioni fidei,Calvinianæ?

In quo tametſi videatur involvi abſurdũ illud, quòd hac ratione Corpus doctrinæ ſuæ, veluti menſuram expoſitionis verbi Dei conſtituant:id tamen non adeò alienum eſt ab iſtorum hominũ mente,quin illud alibi etiam expreſſiùs agnoſcãt.

Videatur Gallica verſio Bibliorum Genevenſius anni 1573. In cuius Præfatione profitentur verſionis autores; ſe in ea adornandâ, varia addidiſſe, imminuiſſe, detraxiſſe, aut plures hebraicos loquendi modo emolliſſe; *uſos in eo ſanctâ aliquâ libertate,ſecũdùm quod Deo placuit illis elargiri de ſuo diſcretionis ſpiritu.* Ac deinde addunt; pro ſuâ ſcilicet autoritate; *relinquere ſe aliis libertatem ſcripturam ſacram convertendi*;ſed eâ adjectâ conditione: *Dummodo eorum verſio conformis ſit noſtris articulis fidei.* Sic illi.

In quibus in-primis mirari ſubit,excidiſſe non incallidis hominibus, vocem illam *ſanctæ libertatis*: quæ apud ſolertem lectorem, adjunctis præſertim poſtremis illis particulis, de articulis reformatæ fidei ſartis tectis ſervandis, continuo nota ſit, non vanam inferre ſuſpicionem, quaſi ea ſcripturæ verſio,paulò licentiùs, ad eos ipſos articulos confirmandos comparata & ſubornata ſit; pro eo nimirum arcano diſcretionis ſpiritu, quo circa ſcripturas dignoſcendas, explicandas, interpretandas, pollere ſe jactant, Calvini diſcipuli. Quod tamen nobis aliiſque

ipſorum

ſinceritas;ad ſuæ fidei articulos conformandam eſſe ac menſurandam.

In quo rurſum apparet familiaris ille,ac ſæpe inculcandus, diſciplinæ Calvinianæ circulus, & conſequenter fidei illorum inſtabilitas; dum, quis ſit legitimus, adeoque in verſione deligendus, ſcripturæ ſenſus; ex conformitate ad articulos fidei ſuæ colligunt; & ſimul, qui legitimi ſint fidei ſuæ articuli, ex conformitate ad legitimum ſcripturæ ſenſum, accipiunt.



CAPUT XXXXIV.

Quàm abſurdos in ſenſus inducat Calvini ſequaces, temerè uſurpata in fidei rebus analogia ratio.

IStud ſeorſum apponimus, ut appendicem ſuſceptæ materiæ, utque hinc ampliùs intelligatur, quàm pernicioſa ſit, ab eiuſmodi Doctoribus, ad rem ſummi momenti (qualis eſt Baptiſmi & Euchariſtiæ uſus legitimus) licenter traducta prædictæ analogiæ uſurpatio.

Aſſeverat verbis diſertiſſimis Salvator Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Attamen Novatores noſtri, contra ipſam verbi toties iterati proprietatem, & hactenus receptum ſenſum uſumque univerſalis Eccleſiæ, verba illa

la Christi, secundùm quandam analogiam extendentes, contendunt in casu necessitatis, Baptismum *quovis alio liquore, non minùs quàm aquâ* (uti terminis expressis loquitur Beza epist. 2. ad Thomam Tilium) *conferri posse.*

Qua in re videtur præeuntem secutus, Calvini sui prodromum, Lutherum: qui in symposiacis cap. 17. docuit: *Quidquid balnei nomine venire potest, legitimam Christiani baptismi materiam esse.* Neque enim verba Salvatoris, restrictè & propriè de aquâ naturali intelligenda; sed de quovis liquore, qui ad hunc effectum, aquæ propriè dictæ proportione respondeat.

Itaque & vino, & lacte, & (sit honor auribus & pax naribus) etiam lotio, si ita res ferat, iuxta scita quinti Evangelij ritè Baptizabitur. Quo sanè postremo liquore (quem à lotione dici, autor est Calepinus) ætate nostra, in Hollandiæ partibus, usum esse Ministrum Calvinistam, cùm ad eum de nocte in lecto cum uxore jacentem, Baptismi gratiâ delatus esset infantulus, loci & facti circumstantiis, ut in re compertâ adscriptis, scripto publico vulgatum, ipsi vidimus.

Sed non ibi sistit propudiosa, & animarum saluti perniciosa, sed etiam ad Eucharistiæ materiam sese extendit, quidvis immutandi Novatorum nostrorum licentia. Ita enim rursus expressè Beza epistolâ eâdem, etiam de Calvini mente pronuntiat: Vbi panis aut vini, vel nullus est usus, vel nulla certo tempore copia; ritè celebrandam cœnam Domini, si quod panis aut vini vicem supplet, panis aut vini loco adhibea-

tur

tur. Hanc enim fuiſſe Chriſti Euchariſtiam inſtituentis mentem,ut per ea quibus corpus noſtrum alitur, veram alimoniam ſpiritualem repræſentaret. A quâ proinde non aberraturum, *qui* (ut ipſe loquitur) *Nullo prorſus novandi ſtudio, pro pane & vino ſubſtituat, qua, etſi non parem, ſimilem tamen analogia rationem habeant.*

Quocirca, per illam analogiæ fidei regulam, ſi deeſt panis triticeus, etiam in pane ex milio, fabis, caſtaneis, & aliis quibuſvis, ſeu leguminibus ſeu fructibus confecto, ubi eius vulgaris uſus eſt, corpus Chriſti ritè conſecrabitur; ſanguis item Chriſti etiam in aqua, ubi vinum defuerit: tametſi hic error jam olim ab Eccleſia damnatus ſit in hæreticis, quos Auguſtinus Aquarios, Græci Hydroparaſtatas appellant. Cùm interim bonus Theodorus, quo, tametſi aperto impudentique mendacio, ſimplicioribus imponeret, eâdem epiſtola non erubuerit ſcribere: *non aliter de his ipſis rebus, ipſos etiam ſuperſtitioſiſſimos ſcholaſticos ſcriptores cenſuiſſe.*

Sed audiat, ſi placet, è Lutheri ſcholâ, Ægidium Hunnium, de hoc commento ſuo, in libro de cœna Lutherana, in hæc ipſa verba pronuntiantem: *Beza ſcribit, pluſquam hæreticè, licere in defectu panis & vini, adhibere res alias.*

Porrò autem quid de hoc dicemus; quod hi, qui aquâ deficiente, alium liquorem in baptiſmo ritè adhiberi pronuntiant; iidem in altero extremo, etiam ubi cogit neceſſitas, illum à pri-
vato

vato (& multo magis à fæmina) validè conferri posse negent; Ita enim expresse Calvinus Epist. 334. *Si privatus baptizet*, ait, *manifestam* esse *baptismi profanationem, ipsumque baptismum adulterium esse censendum.*

At cùm ipse sibi obiecisset Augustinum de eo dubitanter loqui: *Atqui nobis* (respondet) *longè pluris esse debet inviolabile Christi mandatum* &c.

Quis non obstupescat istorum hominum in fidei rebus, non jam oscitantiam, imprudentiamve, sed quasi ludicram & desultoriam, quodvis pro libito affirmandi, negandive libertatem?

Vt qui videlicet in Evangelij tractatione ita versentur, ut ubi Christus disertis verbis aquam in baptismo necessariò adhibendam significat, ipsi voluntariâ usi analogiâ, quemcunque liquorem, sufficientem esse intelligant: è diverso autem, ubi ille discipulis suis, & in his, Ecclesiæ suæ simpliciter indifferenterque committit ipsam baptismi administrationem, nullo addito verbo, quo illam restringat ad certas personas, neque accidente, de eâ restrictione, ullâ communi Ecclesiæ traditione; ab eo tamen officio, etiam in necessitate, privatum hominem excludant.

Perinde atque si, pro spiritus sui privati genio, permissum sibi existiment, in casu isto posteriore, ubi nulla est in Christi verbis specialis determinatio *mandatum* (quod contendit Calvinus) *inviolabile* agnoscere: in priore autem, ubi aqua à Christo, velut baptismi materia,

præscribitur,

præſcribitur, nullum agnoſcere mandatum, ſed licentiam ſibi, alium liquorem, ubi aqua deſit, uſurpandi, permiſſam eſſe. Atque ita demum, pro animi ſui libidine in uno laxos, in altero adſtrictos eſſe: utrobique autem, quod illis ſolenne & complacitum eſt, ab Eccleſiæ veteris communi ſenſu, uſuque protervè diſcedere.

Ipſo interim Calvino Epiſtola 87. è contra rectè enunciante: *in materia propoſita, tantum reſpiciendam inſtitutionem, & continuum uſum, qui à Chriſti mandato, tanquam ex fonte fluxit.* Ideoque (ut addit, verbis inſanè exaggeratis, neque cum ſuperiore ſuâ doctrinâ cohærentibus *nihil ſuâ referre, ſitne homo Lucianus* (hoc eſt Atheus aliquis &c.) *qui baptizat, ſitne diabolus*. Sic ille.

Sed neque verum eſt: Auguſtinum verbis illis, quæ (ex libro 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap.13.) refert Calvinus, eâ de re, quod ad privatum hominem attinet, dubium hæſiſſe. Quandoquidem ante verba proximè relata, hæc præmiſerit: *Quamquam etſi laicus pereunti* (baptiſmum) *dederit, neceſſitate compulſus, neſcio an piè quiſquam dixerit, eſſe repetendum.* Quâ loquendi formâ omninò ſignificat, non auſurum ſe, repetendum præſcribere; quod tamen Miniſtri Galliæ, in Synodo Vapincenſi, decreverunt abſolutè faciendum. Et verbis relatis ſtatim ſubjiciat S. Doctor: *Sed etſi nullâ neceſſitate cogente; uſurpetur, & à quolibet cuilibet detur; quod datum fuerit, non poteſt dici non datum, quamvis rectè dici poſſit illicitè datum.*

A

A quolibet, inquit, ſaltem qui baptizatus fuerit. Quia in ſequentibus addit, aliam eſſe quæſtionem de his, qui nunquam baptizati fuerint: de qua dicit; nihil adhuc determinandum.

Poſtremò eundem Auguſtinum libro 2. contra Creſconium cap. 29. ita audias loquentem: *Qui ius baptizandi ſibi uſurpare non debuit, ſibi nocet, qui bonum malè uſurpavit; non ei, qui bonum bene percepit.*

Porrò, ut hoc addam iis quæ diximus de ipsâ Baptiſmi materiâ, minùs jam fortaſſe mirabimur Novatorum noſtrorum audaciam, negantium aquam naturalem ex Chriſti præcepto adhibendam; ſi attenderimus Calvinum maiore inſaniâ, de ipſo baptiſmo ſuſcipiendo in illis verbis Ioan. 3. nullum Chriſti præceptum agnoſcere. Quippe qui libro 4. Inſtit. cap. 15. §. 20. expreſsè pronuntiet: *multum damni invexiſſe illam opinionem, quod baptiſmus aquæ ſit de neceſſitate ſalutis*: quod item videas negaſſe Anonymum quendam, adverſus quem ſcribit Petavius in Diatriba *de poteſtate conſecrandi* &c. Cuius etiam mentis fuiſſe fertur, è Lutheranis Lucas Sternbergerus, & Ioannes Alaſco è Sacramentariis.

Addent alibi generaliùs eodem Calvino, *commune eſſe Sacramentis omnibus, ſuperflua eſſe, quoties alioqui memores ſimus paſſionis Chriſti.*

Sed neque parvulos ſaltem fidelium filios egere baptiſmo, diſertè tradit in Inſtit. loco citato, & alibi; diciturque id ipſum haberi in ipſorum

ipſorum formulâ adminiſtrandi Baptiſmum; cùm tamen in eorum confeſſione fidei, articulo 35. ſic è contrario expreſsè legam. *Dicimus, quod autoritate Chriſti; parvuli fidelibus geniti debent Baptizari.*

Ita ubique Labyrinthus eſt, & apud iſtos vacillant omnia; etiam in capite ſummi momenti:

Ad extremum, quando de Novatorum circa baptiſmum erroribus mentio nobis eſt; tenere me non poſſum, quin Petri Vireti, Calvini Symmyſtæ in libro de clavibus Eccleſiæ, inſulſiſſimum, & ſive riſu, ſive indignatione, ſive etiam commiſeratione, dignum commentum, tibi Lector, propinem. Vt qui videlicet odio Romanæ Sedis, quo flagrare ſolent ſectarij omnes, excæcatus, vigilans ſomniavit, auſuſque eſt ſcripto prodere: Tametſi Baptiſmus quocunque alio idiomate validè poſſit conferri: attamen Latinâ linguâ collatum, inutilem vel nullum eſſe. Ad quod fortè potuit & ipſe induci eâ analogiâ fidei, ut quando, ſecundùm Reformatam fidem, ex ipſo Dei verbo, certo certius conſtat; Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum: ita proportione quadam conſequens crederet, ipſam quoque linguam Romanam eſſe Antichriſtianam. Conſequenter exinde fortè dicturus, ipſum quoque ſcripturæ Latinum textum, veluti profanum & Antichriſtianum, eſſe rejiciendum.

Eodemque facit non minùs fatuum Calviniſtarum in Synodo Vilnenſi decretum: *illegitimos quoſcunque eſſe æternæ damnationi obnoxios, nec ad baptiſmum admittendos*: contrà quàm ge-

ralissimè à Salvatore pronuntiatum est: Qui *crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Additque qui id refert Becanus in *privilegiis Calvinistarum privil.* 8. idem traditum in quibusdam articulis in Palatinatu vulgatis, anno 1587.

Atque ecce rursum; attende, quæso, lector optime; quò denique recidit, speciosa illa, & simplicium sensibus fraudulenter alludens, illudensque ipso vocum sonitu, puritatis Evangelij, & meri purique verbi Dei consectandi professio.

Vt enim, quæ pluribus dixi, in pauca contraham; qui primùm iactabant, plenisque buccis concrepabant; nihil sese nisi quod in verbo Dei scripto expressum haberetur, credendum proponere; cùm id eis minùs procederet, eo declinarunt, ut dicerent, saltem credendum non esse nisi quod, vel expressum esset in scriptura, vel ex eâ deductum per necessarias consequentias.

Per quod, etsi magnam latamque viam aperuissent, dogmata quævis sibi complacita veluti scripturæ consentanea, venditandi: cum pronum sit cuilibet, pro affectu suo, eiusmodi claram consequentiam, etiam ubi alij ne probabilem quidem inveniant, sibi fingere: uti videre est, in articulo, quod Papa Romanus sit Antichristus: attamen eo præsidio, ut minùs firmo, nondum contenti, demum ad cæcam illam licentiosamque analogiam fidei, sibi confugiendum existimarunt: cuius accessu, nemo non videt, aperiri viam laxissimam, ut sub umbrâ & obtentu verbi Dei, adstrui possit error quilibet; ut partim hactenus ostensum est, possetque itidem pluribus aliis exemplis ostendi.

Quanto

Quanto ſimpliciùs, clariùs, certiùs, & ad communem captum, doctrinæque ac ſidei unitatem accommodatiùs eo in negotio procedimus nos Catholici: cum Auguſtino & antiquitate, pro regulâ fidei, verbum Dei (ſeu ſcripto expreſſum; ſeu; ſine ſcripto traditum; à qua quæſtione abſtinere poſſumus in præſentia) aſſignantes; eò ſenſu acceptum, quo illud intelligit, ac filiis ſuis Catholica proponit Eccleſia. Fida nimirum cuſtos, ac legitima interpres verbi Dei; eoque nomine ab Apoſtolo dicta, columna & firmamentum veritatis.

Sed nimirum veritas, ſimplex; nuda & aperta eſt: ubi mendacium, multiplici ſeſe ambage involvit, ut lateat, & fucatâ veri ſpecie fallat incautos.

Videat proinde hoc loco bonæ mentis Lector, in utros veriùs, noſne an adverſarios ipſos; verba illa Calvini conveniant, libro primo Inſtitutionum capite decimotertio §. tertio. *Ne aliqua ſubterfugia impiis relinquant, quibus verborum involucra; errorum erunt latebræ.*



CAPVT XXXXV.

Proprium atque perpetuum, & olim fuisse, & modò existere sectariorum cacoëthes; non sensum suum ad scripturas divinas, sed ipsas scripturas ad sensus suos anticipatos accommodare: Eamque primitivam omnium hæresεωn originem esse.

ISTud quidem, opinor, non una occasione in superioribus insinuavimus: sed quia locus ita postulat, placet nunc idipsum magis ex professo deducere: quo demum vel cæcis appareat, quod non sine causa sæpiùs urgemus, eos, qui præ cæteris sese verbi Dei sequaces cultores prætendunt, hos minimè omnium ipsi Dei verbo deferre. Vt proinde, si cui eâ in re nimius videbor; possim mihi iure Paulinum illud usurpare: *Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum: vobis autem, necessarium.* *Philip. 3.*

De præscrip. c. 17. Quam in rem in-primis antiquissimum Tertullianum suprà vidimus; in sui ævi hæreticis id subnotantem; quod scripturas variè *ad dispositionem sui instituti* pervertetent, & fidei doctrinam *pro arbitrio suo* modularentur, aut componerent. *Ibid. cap. 4.*

Eodemque nomine Augustinum, culpantem Manichæos: quòd id denique viderentur agere, ut *suus cuique animus* (sive propria animi persuasio, *autor sit, quid in quaque scriptura probet, quid improbet*, &c.

Verum

Verùm universè eum esse proprium hæreticorum genium rectè observavit commentarius Ambrosio adscriptus in caput 3. Epistolæ ad Titum ita scribens : *Hæretici sunt , qui per verba legis , legem impugnant. Proprium enim sensum* (id est , eum quem quisque sibi privatim præcomposuit) *verbis adstruunt legis ; ut perversitatem mentis suæ , legis autoritate commendent.*

Eamque præsertim extitisse hæresum omnium originem nominatim admonet S. Hilarius : dum libro 7. de Trinitate , adversus Arianos disputans ; qui nescio quibus , circa Verbi divini eandem cum Patre substantiam , offuciis præpediti ; ad hæc Platonicis disciplinis , sive (Tertulliani verbo *Philosophatis doctrinis hominum* ,) præventi , ad divinas litteras interpretandas accesserant ; expresse tradit: *Ex vitio malæ intelligentiæ , fidei extitisse dissidium; dum, quod legitur, sensui potiùs coaptatur, quàm lectioni sensus obtemperat.* Ex quo consequens sit;ut(quod subiungit lib.8.) *fidem ipsi sibi potiùs constituant, quàm accipiant*;dum nempe *studio humanæ inanitatis inflati,quæ volunt,sapiunt; & nolunt sapere, quæ vera sunt.* *De anima c. 3.*

Nimirum amat quisque libens conceptiones, & partus animi sui : & difficulter abstrahitur ab eo quod semel adamaverit. Quâ etiam in re alicubi agnoscit Augustinus , cœcum errorem fœdamque labem humanæ vitæ : quòd nempe , *Sic ametur veritas , ut quicunque aliud amant , hoc quod amant , velint esse veritatem : & quia falli nolunt, nolunt convinci, quod falsi sint.* *L. 1 Confess. c. 23.*

 Qua

Quapropter cuilibet ad verbi divini lectionem accedenti, ab omni affectu sensuque præsumpto, evacuandus est animus, servandaque illa præclara eiusdem Hilarij regula. *Optimus enim lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potiùs quàm imponat; & retulerit magis, quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.* cui consonans B.Hier. in c. 10.Matthæi. *Prudens lector*, inquit, *cave superstitiosam intelligentiam, ut non tuo sensui attemperes scripturam, sed scripturæ iungas sensum tuum.*

L.1.de Trin.

Et quoniam scriptura divina, tametsi ad eam animum docilem, quis attulerit; non omnibus locis per se aperta & pervia est: adiungenda est Hilarij regulæ, illa altera S.Augustini, lib.1. contra Cresconium Grammaticum cap. 33. sapienter admonentis: *Scripturarum à nobis tenetur veritas, dum hoc facimus, quod universæ iam placuit Ecclesiæ; quam ipsarum scripturarum commendat autoritas. Vt quoniam sancta scriptura fallere non potest; quisquis falli non vult obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illâ consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.* Sic illi.

Quæ quàm sapienter, quamque necessariò præcipiantur, vel inde evadit manifestum: quòd alioqui necesse sit in Ecclesiis, summam credendorū diversitatem, perplexitatem, confusionem existere; dum quisque nimirum sibi fidem pro arbitrio suo modulatur; & sunt quod dici solet, quot capita, tot sententiæ.

Qua item ex causâ, horrēdum chaos, summamque fidei perturbationem, in Ecclesiâ suo ævo ab

Arianis inductam, his verbis deplorabat, antea non ſemel, ſed nunquam ſatis, laudatus S. Hilarius; eo in libello, quem Conſtantio Auguſto, pro fidei Orthodoxæ defenſione ſuâ manu obtulit: *Periculoſum*, inquiens, *nobis admodum atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas, quot mores: dum aut ita fides ſcribuntur ac volumus; aut ita, ut volumus, intelliguntur.*

Quod quidem de ipſo novarum ſectarum Principe Martino Luthero, multis ſanè exemplis, ſed, iſto præſertim oſtendi poteſt. Quod is ſeceſſionem ab Eccleſia Catholicâ meditans, cùm iuſtitiam hominis per ſolam fidem, omnis licentiæ ac corruptelæ in vitâ inſtituendâ fontem, Religioni novæ à ſe condendæ, veluti baſim præſtituere conſtituiſſet, dein animadvertens, B. Iacobi epiſtolam inſtituto ſuo apertè eſſe contrariã, atque his præſertim illius verbis c.2. *Ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm*, errorem ſuum peremptoriè iugulari; ut hunc ſibi ſcrupulum efficaciter eximeret; eam epiſtolam, Tertulliani verbo, non ſtylo, ſed machærâ, uſus, (ut & plura alia) ex ipſo ſacrarum ſcripturarum canone recidendam cenſuit, appellans eam ſtramineam, aridam, indignam Apoſtolico ſpiritu. Cuius auſûs, cùm ipſos etiam illius ſectarios puderet, nonnulli negarunt eum ita ſcripſiſſe (qui tamen ex antiquis bibliis, quæ adhuc ſuperſunt, præfatione in novum teſtamentum, apertè convincuntur) alij correxiſſe affirmarunt: eandemque ipſi inter ſcripturas ſacras retulerunt: ſic tamen, ut (teſte Gudſemio *in causâ Calvini deſperatâ*) in Bibliis

Tubingæ editis, ad caput 2. eius epiſtolæ in margine annotarint: *Hæc epiſtola noſtro & veterum temp re ſuſpecta fuit; quia Apoſtolus admodũ periculosè loquitur de hominis iuſtificatione.*

Quâ licentiâ pariter iidem admonere poſſent, ad verba Chriſti Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; Chriſtum admodum periculosè loqui de iuſtitia operum: & ad illa; *Hoc eſt corpus meum*, Sacramentarij: eundem admodum periculosè loqui, de ſuâ in Sacramento præſentiâ.

Verum mox ultra progreſſus Luther. quaſi habere volens quod Iacobi verbis opponeret; verbis S. Pauli Rom. 3. v. 28. diabolico (ut in re ſimili loquentem audivimus Auguſtinum) privilegio, vocem *ſolam* addidit; innumeras autem novi Teſtamenti ſententias, quibus operum iuſtitia, & mandatorum obſervatio adſtruitur, ut earum vim eluderet, non in ſenſu proprio, ſed ironico, aut verbis ipſis directè contrario, pro ſua ſcilicet autoritate, intelligendas eſſe conſtituit.

Quod quid aliud eſt, niſi aperto contemptu, ſcripturas divinas, ad ſenſum proprium animi ſui, non jam accommodare dicam; ſed invitas quaſi repugnantes compellere; eundemque ſenſum aut arbitrium ſuum, ac deni que ſeipſos divini verbi interpretandi regulam ac normam conſtituere.

Superbâ utique & arroganti, primitivæ illius ab Angelis primùm, deinde à primis generis noſtri autoribus ſuſceptæ defectionis à Deo ſeu adverſus Deum, rebellionis, imitatione: quam

in

in eo positam, post Augustinum non uno loco scripsit Bernardus; quod, *suâ potestate delectati ipsi sibi lex esse voluerint, & legem sibi suam facere voluntatem.* *ep. 11. ad Guidonem.*

Porrò ut ad Calvinum reveniam: an non illum plus anticipatis animi sui notionibus, quàm ingenuæ verbi divini simplicitati deferre illa eius palam ostendit; in deneganda Corporis Christi in Sacramento veritate, præfracta pertinacia? Quippe qui ingenio suo præfidens, & intelligentiæ suæ modulo divinæ virtutis immensitatem protervè dimetiens; cùm binas istas enuntiationes; *Impossibile esse, etiam per Dei omnipotentiam, idem corpus simul esse in duobus locis.* Item: *per eandem Dei potentiam, non posse corpus omni externa dimensione privari*, profundè induxisset in animum: maluit proinde clarissimas illas Christi voces (in quibus fatetur ipse Beza, non posse teneri τὸ ῥητὸν, sive ipsam dicti proprietatem, nisi Catholica transubstantiatio statuatur) contra receptam ab initio Ecclesiæ fidem, ad metaphoram deflectere, seu intorquere, quàm, uti par erat, divini verbi autoritati sensum suum ingenuè subjiciendo, de anticipatis illis principiis ullo modo dubitare.

Cùm interim, ut id obiter admoneam; idem ipse Calvinus, alio in dogmate, etiam magis difficili, & ipsis scripturis Deique bonitati manifestè repugnante; eo videlicet, quo statuebat Deum, præ solo suo arbitrio, homines aliquos iustitiæ suæ exercendæ gratiâ, ad interitum destinasse, eumque in finem ipsorum lapsum atque peccata decrevisse, eosque denique

ad

ad ea perpetranda, suo tempore movere; impellere, cogere; propterea quod illud tueri è re suâ duceret, viâ prorsus oppositâ, processerit. Nam cùm istud decretum fateretur esse horribile, illudque reipsa exhorrescant plerique etiam ipsius sectarij; in eo tamen defendendo perstitit; ei quam sibi ipse objiciebat difficultati, contentus, affectatâ modestiâ in hæc ipsa verba respondere: *ubi non capimus quomodo fieri velit Deus, quod facere vetat; veniat nobis in memoriam nostra imbecillitas, & simul reputemus, lucem quam inhabitat, non frustra vocari inaccessam, quia caligine obducta est.* Ita ille libro primo institutionum, capite decimo octavo, §. tertio. Cui simile quiddam, si ei lubuisset, ad difficultates, quas ipse invenit in Eucharistiæ mysterio, nobiscum respondere: nihil opus fuisset tot eâ de causâ ab eo excitari tragœdias, & contra sentientes, etiam insanos appellari.

L. 3. Instit. c. 23. § 7.

Verùm nihil mirum est, in pari causâ disparem esse sententiam; quando in eâ ferendâ non tam causæ meritum, quam insita animi propensio, & cæcus consulitur affectus.

Et simile quiddam in alio casu, non minùs aperto, videre est. Nam cùm idem Calvinus, adversus Ecclesiæ Catholicæ sensum eam sibi adoptasset falsam sententiam: quæ negat Sacramenta novæ legis maiorem habere efficaciam, quàm Sacramanta veteris; ipsumque adeò Ioannis baptismum contenderet paris efficaciæ cum Christi baptismo fuisse: animadvertens se vehementer impugnari ex eo, quod Actorum 19.

cap.

cap. refert S. Lucas, quoſdam fideles ſolo Ioannis baptiſmo tinctos, iuſſos à Paulo iterum baptizari *in nomine Domini Ieſu*; ne eapropter à ſenſu ſuo anticipato diſcederet: maluit contra ſenſum communem, & ipſius contextus conſequentiam, verborumque genuinam proprietatem; dicere fideles illos, non fuiſſe iterum baptizatos, ſed tantùm per hæc ſignificari accepiſſe illos dona Spiritus Sancti.

Cùm tamen ex uſu ſcripturæ conſtet baptizari in nomine Domini Ieſu, idem eſſe ac ſuſcipere baptiſmum Chriſti; & ipſe contextus; apertè ut diverſa referat; baptizatos fuiſſe, & per impoſitionem manuum Apoſtoli, Spiritum Sanctum veniſſe ſuper eos, & Actorum octavo capite, manifeſtiſſimè iſta opponantur inter ſe, nec negare poſſit ipſe Calvinus, eo ſaltem loco baptizari in nomine Domini Ieſu, intelligi de ſuſcepto vero Baptiſmo Chriſti.

Verùm, uti dixi, hæc omnia contemnit, contrario ſenſu præoccupatus animus; paratus potiùs, ut quod de Luthero dixit Zuinglius, etiam de Calvino uſurpem, non ſibi modò, ſed etiam divini verbi oraculis contradicere, quàm à ſemel conceptâ opinione diſcedere.

Et verò hoc ipſum cacoëthes in ſuis fratribus agnoſcit, & damnat ipſe Calvinus, Præfatione in Pſychopannychian: cuius loci primores verſus aliâ occaſione ſuprà produximus. Ita enim deinde inſiſtit. *Tandem (quod eſt caput mali) dum obſtinatè tueri pergunt, quod ſemel temerè effutiverunt; tum Oracula Dei conſulunt, ex quibus errorum ſuorum patrocinia quærant. Vbi, Deus bone,*

bone, quid non evertunt, quid non depravant atque corrumpunt, ut ad sensum suum, non dico inflectant, sed vi incurvent; haeccine est discendi via; versare ac volutare scripturas, ut libidini nostrae serviant, ut sensui nostro subiiciantur; Quo, inquit, *nihil est stolidius.*

Ad extremum affectatè subiungit sapiens monitum; cuius utinam prior ipse rationem habuisset: *Nos, Fratres, tot exemplis moniti, vel serò tandem sapiamus. Pendeamus semper ex ore Domini, & ne quid ad eius sapientiam admisceamus de nostro, ne velut fermentum totam massam corrumpat &c.* Sic ibi.

Tandem, quod attinet ad affectatam proprietatis suprà memoratorum verborum Christi, *Hoc est corpus meum*; negligentiam, seu non curantiam; in eundem cum Calvino lapidem incurrunt plerique omnes Sacramentarij; quorum complurium à doctissimo Fevardentio locis adscriptis, relatas voces homine quidem Christiano indignas, ad ipsarum sectarum probrum operae pretium est, etiam hoc loco, saltem ex parte audiri.

Theomach. l. 16. a l cap. 1 . Catechismi Calvin. n. 41.

Zuinglius igitur, de augustissimo Eucharistiae Sacramento agens, disertè fatetur, se in eo argumento, non niti verbis Institutionis quae referunt Evangelistae; sed hoc uno dicto, Ioannis 6. *Caro non prodest quidquam.* Quasi nempe diceret: sese verba quibus in Sacramento instituendo Christus usus est (eò quòd ad sensum suum minùs faciant, & aliquid proferant, quod ipse capere non possit) tametsi clara & aperta, in hac controversiâ non attendere: sed unicè nisi verbis

bis illis Ioannis, quanquam minus apertis, & reipsa sensum alium in se continentibus: propterea quod hæc potiùs ad sensum suum accommodare & inflectere possit,

Sed propiùs ad propositum nostrum: *Remove* inquit Svvenkfeldius ibidem citatus, *ista verba: Hoc est corpus meum, & considera, quanam sit natura corporis humani.* Et Vermilius, sive Petrus Martyr; *non tam verbum divinum, quàm etiam verba naturæ* asserit *sequenda esse in Theologia.* Quibus quidem quid aliud significant, quàm sese pro regula mysteriorum fidei, non tam quid ipsa scriptura dicat, quàm quid natura rerum permittere videatur, attendere?

Porrò Strigelius nescio quis ibidem non est veritus, etiam impudentiùs scribere: *se in re tali dextrum oculum habere ad naturam, sinistrum autem ad verba Christi.*

Tandem aliis omissis; quod credere vix possem, nisi adeò fide dignum haberem autorem; ipse Beza non exhorruit (inquit expressis verbis Fevardentius) *divinissima Christi verba, vocare umbram asini, auriculas asini, fatentes asini crepitus &c.*

Et non exhorrescitis ad hæc, Domini Reforti, & tam cæci estis, ut non perspiciatis continuò, ex eâ vestrorum Doctorum philosophandi ratione, non tantùm subverti sacræ Eucharistiæ dogma Catholicum; sed etiam divinæ Trinitatis & Incarnationis mysteria, quæ recipit vestræ fidei Confessio, consimiliter eludi posse: dicentibus illinc Sabelliano aut Ariano, hinc autem Nestoriano aliquo; in Theologiâ non tantùm

tantùm quid ſcriptura ſignificet, ſed etiam quid ferat natura rerum, attendendum eſſe: ſibi autem eſſe perſuaſiſſimum: trium perſonarum in unam naturam, aut duarum naturarum in eandem hypoſtaſim, convenientiam, ex ſuis terminis manifeſtè repugnare. Immò generaliùs: ubicunque à Scripturâ ſacrâ quidpiam traditur, quod conſuetas naturæ vires, noſtramque adeò intelligentiam exuperet; id non in genüino proprioque verborum ſenſu, ſed in exotico; metaphorico, hyperbolico accipiendum eſſe. Quod equidem eſſet, & verbi Dei energiam pro animi cuiuſque libidine, prorſus eludere; & quod præfert inſcriptio capitis; cuivis hæreſi latiſſimum aditum aperire:

Et ubi jam erit, ſumma illa virtus ac potentia fidei divinæ; per quam gloriatur Apoſtolus ſeſe, deſtruere omnia conſilia (Græcè λογισμοὺς, id eſt,
2.Cor.c. 10 omnes objectas naturalis Philoſophiæ rationes) & omnem humanæ ſapientiæ altitudinem, extollentem ſe, ſive opponentem ſe ſcitis divinæ ſapientiæ; atque ita ſibi ſubjicere, & quaſi in captivitatem ac ſervitutem redigere, omnem intellectum in obſequium.

Quam quidem humani ſenſus ſub divina
L.3. Inſt. c.2.§.2. Chriſti autoritate ſubjectionem, adeò non curat ipſe Calvinus ut prætextu rejiciendi fidem Catholicorum implicitam, omninò explicitam & perſpicuam divinæ veritatis cognitionem requirens; audacter ſubdat: *Hac cognitione & non ſenſus noſtri ſubmiſſione ingreſſum in regnum cælorum obtinemus.* Sic ille.

CAPVT



CAPUT XXXXVI.

Ex dictis nominatim deducitur, quam falsò Calvinus, eiusque pulli, de accurato præ Catholicis, puri verbi Dei studio, usuque glorientur.

MAnifeſtum quidem id eſſe poteſt,ea quæ diximus paulò attentiùs conſideranti : cùm negari non poſſit, plus reverentiæ ſtudiique deferre verbo Dei, illos qui ei primas deferunt,ſecundas autem ratiunculis ex infirmâ noſtrâ intelligentiâ,aut conſueto rerum naturalium ordine,petitis; quod facimus nos Catholici; quàm qui ante omnia debilem ſenſum ſuum,naturæque leges attendunt, ut iis conſultis pronuntient, quem denique in ſenſum verbum Dei accipiendum videatur;quod facere Calvinum eiuſque diſcipulos,apparet ex dictis.

Verùm,cùm ea res magni ſit momenti ad ſcopum ſuſceptæ à nobis exercitationis; viſum eſt idipſum,in ſuprà prolato,de Corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ exemplo,tam evidenter oſtendere,ut etiam à rudioribus planè & plenè poſſit intelligi.

Siquidem in eius tractatione myſterij,ita procedit diſcurritque Calvinus :Fieri non poteſt,ut idem Corpus ſimul ſit verè ac realiter in locis pluribus. Atqui corpus Chriſti verè eſt in cœlo, donec ad iudicium veniat. ergo nequit ſimul verè

rè & realiter esse sub sub symbolo panis; & cõsequenter verba illa Christi : *Hoc est corpus meum* : non possunt in sensu vero seu proprio accipi.

Catholici verò ab hoc postremo exorsi, è diverso ita discurrunt. Corpus Christi est verè & realiter in Sacramento : quia ita postulet verborum Christi genuina proprietas, & perpetuus de eo verborum intellectu, Ecclesiæ sensus ; & tamen simul est in cœlo. Ergo concedendum est, per absolutam saltem Dei potentiam, posse idem corpus simul esse verè ac realiter in pluribus locis.

In quibus argumentandi modis, uti fortè jam adverteris, Lector ingenue, magna est & notatu digna differentia: quod in Calviniana formula pro basi & fundamento argumenti assumatur principium, ex solâ naturali experientiâ, & humanâ ratione petitum ; ex quo consequenter proceditur, ad determinandum; sitne verbum Dei, in sensu proprio, aut metaphorico,, seu improprio interpretandum. Ex quo statim apparet, eos ex illa ipsorum phrasi, dextrum oculum habere ad naturam, sinistrum autem ad verba Christi ; sive, naturale rationis lumen, esse sensus verbi divini regulam; cùm è contrario verbum Dei, qui certissima atque suprema veritas est, debeat naturalis luminis regula atque amussis esse.

Nos autem, memores prisci verique proverbij : non amussim ad lapidem, sed lapidem ad amussim esse accommodandum, ante omnia attendimus ; quis sit reipsâ scripturæ *Apud Plutarchum.*

sensus

ſenſus;& tùm ex ipſa genuinâ verborum Chriſti proprietate,à qua nihil eſt quod compellat nos recedere;tum ex orthodoxæ Eccleſiæ,quam ut legitimam habemus divinæ veritatis interpretem, definitione ac traditione compertum habentes,corpus Chriſti ſimul verè, & in cœlo,& in Sacramento eſſe;conſequenter procedimus ad corrigendum ſive potiùs ſupplendum ac modificandum, (ne alioqui verbo Dei repugnet) naturale illud principium, dicentes aliter fieri poſſe per abſolutam Dei potentiam, quæ nempè immensè tranſcendit & exuperat, ſeu naturæ vim, ſeu naturalis luminis aut rationis humanæ ſibi relictæ, infirmitatem.

Atque hoc modo dextrum oculum ad verbum Dei,& ſiniſtrum ad naturam habentes,obſequimur B. Apoſtolo,cautiſſimè monenti: *ut fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* 1.Cor.2.

Quam ſenſus noſtri, ſub divinam, ſive veritatem, ſive virtutem ſubjectionem,quoties ſcriptura ſupra naturæ vim, & intelligentiæ humanæ captum,quidpiam videtur proponere,cùm in univerſum adferamus; ex hac quoque parte manifeſtum eſt nos nimio plus deferre verbo Dei; quàm ij faciant,qui ut ſectam ſuam plauſibiliorem reddant, puri verbi Dei Sectatores, ſeſe jactitant: *habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* 2.Tim.3.

Quos nimirum ſenſûs humani infirmitate,divina metiri contendentes, ſuperbæ vanitatis, immò ſtultitiæ coarguit præclarus Doctor S. Hilarius; verbis utique commemorabilibus, &

dignissimis, quæ etiam à nostri ævi sectariis ponderentur. Ita autem ait, lib.3. de Trinitate. *Omnis itaque infidelitas, stultitia est; quia imperfecti sensus sui usa sapientiâ, dum omnia infirmitatis suæ opinione moderatur, putat effici non posse, quod non sapit.* Et rursum: *Ergo quidquid pereuntibus stultitia est, hoc iis qui salvantur Dei virtus est: quia nihil naturalis sensus infirmitate moderantur, sed divinæ potestatis efficientiam, secundùm infinitatem cælestis virtutis, expendunt.* Ex quibus ad extremum infert: *Nihil igitur in divinis effectibus, humanæ mentis opinione tractandum est.*

L.2. Metaph. c.3. s.1. Et sanè, si, ut sapienter agnovit ipse Philosophus; sicut oculi vespertilionis ad lumen diei se habent; ita intellectus animæ nostræ ad manifestissima naturæ: multò minùs erit sibi ipsi permissus ad ea quæ sunt supra naturam pervidenda sufficiens. Aut velut legimus in libro sapientiæ: *difficilè æstimamus, quæ in terra sunt; & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam &c.* Cap.9.

At ista non audit, sibi præfidens humanæ mentis proterva intelligentia; & quia non credit, nisi quod sapit; hinc non sensum suum subjicere amat verbo Dei, sed illud potiùs ad sensum suum inflectere: quam etiam dixi; videri omnium hæresum primitivam originem esse. Quod hoc præclaro dicto, ad suprà laudata Apostoli verba: *ut fides vestra non sit in sapientia hominum*, confirmans Beatus Ambrosius, & qua velut aureâ clausulâ, quæ hactenus scripsi

obsignem

obsignem: *fides igitur non sit in hominum sapientia, & hæresis non erit.*



CAPUT XXXXVII.

Fidem Calvinistarum specialem, Scripturâ divinâ ut propriâ regulâ, non niti.

NOn est nobis hoc loco disceptatio, de eo actu, quo juxta Calvinum, ipsius fideles ex sola Spiritu interioris persuasione, discernunt Scripturas canonicas à non canonicis; cuius veritatis constat apud ipsos, verbum Dei scriptum regulam non esse, sed eo posito, investigamus in præsentia, utrum si fortè non universè, at circa aliquas fidei suæ veritates, simile quiddam dicere habeant: contra id quod tradit ipsorum Confessio, *verbum Dei scriptum, omnis veritatis solam & unicam regulam esse.*

Qua in re, ut distinctè, ordinatéque procedatur; distinguenda nobis est, quod ad præsens attinet, duplex fides: quarum altera dicatur generalis, ex eo quod versetur circa omnes veritates, quæ nobis à Deo revelantur in Scripturis. Altera specialis, quâ juxta Calvinum unusquisque fidelis credere debet se justum esse, & ad vitam æternam propter Christum ex speciali Dei benevolentiâ præordinatum: in quo actu dicunt, fidem iustificantem consistere.

Atque ut ab hoc incipiam: fuit quidem &

hic Lutheri error: *Iustum certò, etiam certitudine fidei, scire se esse in statu gratiæ, licet nullam eius habuerit revelationem specialem.*

Errore 23. apud Gault.

Sed, ipsis vocibus, magis insolens & proterva est, Calvini sententia: *unumquemque fidelem posse ac debere indubitata fide credere, se iustum esse apud Deum, perseveraturumque in Dei gratia; ac proinde regnum cœlorum jam esse suum, nec illud posse sibi excidere.* Quò maximè spectant hæc eius verba, ex libro 4. Instit. c. 17. §. 2, præsertim, ut admonet Gaulterius, in editione Gallica: *Nobis securè spondere audemus, vitam æternam nostram esse, cuius Christus est hæres: nec regnum cœlorum posse magis nobis excidere, quàm ipsi. Rursum; peccatis nostris non posse nos magis damnari, quàm ipsum.*

Sed dissimulatâ in præsens temerarij hominis exaggeratâ audaciâ: illud præsertim in rem nostram assumimus; quòd expressissimè tradit lib. 3. cap. 2. §. 16. *Verè fidelem non esse, nisi qui divinæ erga se benevolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit.*

Quâ doctrinâ positâ: faciamus Calvinistam aliquem (quem v. g. appellemus Gualterum Guillielmum) ex Calvini sensu, certâ fide credere, se esse iustum, & electum à Deo, & infallibiliter perventurum ad vitam æternam. Quæro, in quo verbo Dei scripto, ut proximâ & sufficienti regulâ fundatur iste actus fidei? Nam si (ut certum est) in nulla scriptura expressè habeatur hæc absoluta propositio: Gualterus Guillielmus est iustus, & electus à Deo, adeoque

adeoque infallibiliter ſalvabitur : neque ea rurſum ex verbo Dei deducatur, per evidentem ſaltem conſequentiam: ea hoc ipſo vel credi non poteſt fide divinâ, vel pro eo actu alia erit regula fidei quærenda.

Quod enim Calvinus eam in rem ſcribere viſus eſt, lib.3.citato,cap.2.§.28.*fidei*(inquiens) *fundamentum facimus gratuitam promiſſionem, quod in ipſa propriè fides conſiſtat*. Et §.29. *fides propriè à promiſſione incipit, in ipſa conſtat, in ipſa deſinit*: id, inquam, nihil ad rem facit, quandiu promiſſio (prout in caſu noſtro) duntaxat generalis eſt, neque applicatur ad perſonam,de qua eſt ſermo,Alioqui in hac argumenti formâ : Deus v.g. promiſit ſalutem æternam credentibus in ſe, & (quod iuxta ipſos connexum habetur) in ſua iuſtitiâ uſque in finem perſeverantibus : niſi quid addatur,non magis evidenter inferes : ergo Gualterus Guillielmus infallibiliter ſalvabitur : quàm ſi quis olim inde intuliſſet : ergo Iudas infallibiliter ſalvabitur; aut modò inferat : ergo Antichriſtus infallibiliter ſalvabitur.

Addendum igitur eſt in argumento : Atqui Gualterus Guillielmus, fidelis & iuſtus eſt &c. quo modo Beza dicebat, unumquemque ita ratiocinari debere. *Ego ſum in Chriſto*,id eſt in Dei gratia, *& ideo perire non poſſum*. *In conf. ſuâ punct.4.a.5.*

Verum cùm hoc ipſum quod nempè Gualterus fidelis & juſtus ſit, dicatur, ab ipſo Gualtero fide certâ & indubitatâ credendum : recurret quæſtio : in quo loco ſcripturæ fundari poſſit hoc iudicium, in ipſo Gualtero : *Ego fidelis*

ſum & iuſtus, aut, *Ego in Chriſto ſum*; ita ut ex illo deducatur, ſaltem per evidentem conſequentiam.

Cumque nullus omninò proferri poſſit locus eiuſmodi: manifeſtè infertur, regulam proximam & determinatam talis actus fidei, ſi quis dari fingatur: eſſe ipſam internam revelationem Spiritus: & conſequenter verbum Dei ſcriptum, eâ ſaltem ex parte non eſſe unicam & adæquatam regulam fidei; cùm hæc arcana revelatio, ſi detur, non ſit utique verbum Dei ſcriptum.

Neque dicas eam certitudinem ſufficienter fundari, in eo quòd Rom.8. v.16. dicitur: *ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* Quo loco & ei ſimilibus, ad hunc errorem ſuum ſtabiliendum abutuntur Sectarij.

Etenim, præterquam, quòd hic locus non poſſit accipi de certitudine fidei, ſed tantùm de certitudine morali, ex ſignis & argumentis vehementer id ſuadentibus; ne alioqui is contradicat aliis locis Scripturæ, manifeſtè contrarium tradentibus; ut exempli causâ Prov.20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum; purus ſum à peccato*? Eccl.9. *ſunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum ſunt in manu Dei; & tamen neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit.* 1. Cor.4. *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Quæ omnia iugulant fidem illam ſpecialem hæreticorum.

Attamen, ut id etiam concedamus adverſariis, eum videlicet ſenſum quem intendunt, re-

ipsa

ipsa cadere in locum prolatum: adhuc dico illum nihil conferre posse in rem præsentem.

Observandum quippe est, ut omnis tollatur æquivocatio; aliud esse, ex eâ scripturâ quasi reflexè haberi; unicuique justo, per interioris Spiritus persuasionem, aut revelationem, constare certò & infallibiliter de sua justitiâ: aliud hanc ipsam Scripturam posse directè, & ut propriam regulam, ad hoc conducere, ut hic iustus, puta Gualterus, in se formet votum certæ fidei, de suâ justitiâ. Quod clarum est fieri non posse; cum ea scriptura nihil absolutè dictet de cuiusque hominis iustitiâ: sed duntaxat quasi conditionatè affirmet, ei qui justus sit, per internum quoddam Spiritus sancti testimonium, certò constare, quod sit filius Dei. Ex quo etiam apparet, eam certam fidem seu persuasionem, non haberi in ipsis justis, à Spiritu sancto velut per scripturam publicè loquente; sed ab interiori eiusdem Spiritus testimonio tanquam eius assensûs regulâ propriâ ac spirituali.

Ex quo discursu denique manifestum evadit, fidem specialem Calvinistarum, si qua detur in rerum naturâ, non in verbo Dei scripto fundari, tanquam directa & propria regula fidei; sed aliam, ut diximus, & specialem regulam habere; & consequenter, quod probandum erat, verbum Dei scriptum non esse regulam omnis veritatis.

Quid autem si hoc quasi gradu facto, ulteriùs progressi, illud ex abundanti adiunxerimus

mus, quod insuper insinuabamus : etiam absolutè, seu nullo in casu, verbum Dei scriptum esse fidei Calvinianæ regulam? Quod quidem evidentis erit consequentiæ; si illud, minùs expectatum, demonstraverimus, quod suscipimus præstandum proximo capite : in schola Calvini, extra fidem illam specialem, nullum alium veræ ac Christianæ fidei actum, agnoscendum esse.



CAPVT XXXXVIII.

Deducitur ex Calvini dictis, prædictam fidem specialem, unicum & adæquatum fidei Calvinianæ actum esse; & quod hinc sequitur, nullum Calvinianæ fidei assensum, verbum Dei scriptum, pro regulâ propriâ habere.

PArodoxum istud continuò censebit Lector meus; nec credet, etiam de Calvini scholâ, quisquis paulò leviùs eius doctrinâ tinctus, suæ ipsius sectæ arcana minùs penetraverit.

Cùm & alioqui parte ex una nimis clarum sit, unicuique fideli, verâ atque divinâ fide, credendum esse v. g. Deum omnia creasse ex nihilo; Christum natum esse ex Virgine, & quæcunque alia divinis scriptis continentur, extra proprium objectum fidei istius specialis.

Ex

Ex alterâ autem ipſe Calvinus, id olim ſibi ab adverſariis objectum, velut calumniam repulerit; libro 3.Inſtit.c.2. §.30. ita proloquens: *Nos immeritò gravant calumniatores, ac ſi negaremus, fidem habere reſpectum ad omnes verbi Dei partes*. Et anteà ibidem §.7. *non negamus*, inquit, *quin fidei officium ſit veritati Dei ſubſcribere, quoties, & quidquid, & quocunque modo, loquitur.*

Verùm, quod ad hoc poſtremum attinet; nō eſt quidquā inſolens, imò familiare eſt Calvino; ubi odioſius quidquam ex ipſius dictis objectum ſit, id quod reipſa docet, verbo negare; aut certè (quod iſtis Exercitationibus paſſim demonſtramus) etiam in primariis doctrinæ ſuæ capitibus; fluctuantem, varium, atque perplexum eſſe.

Noſtrum igitur erit hoc loco, ex ipſa Calvini doctrina, id quod propoſitum eſt, deducere: ſiquid autem alibi, aut eodem loco contradixerit; quatenus ad ſcopum noſtrum attinet, non attendere.

Atque ut hinc ordiar: non difficile erit ex Calvini ſenſu, ſuperiori capite expoſito, aliiſque eiuſdem affinibus locis, quos Errore Calvini 6. nobis ſuggerit Iacobus Gaulterius, deſtinatum noſtrum efficere.

Quid enim aliud ſibi volunt illæ Calvini voces: *fundamentum fidei eſſe gratuitam Dei promiſſionem? Ab hac fidem incipere, in hac conſtare, in hac deſinere; ac demum*, quod infra adjungit: *fidei unicum ſcopum, eſſe Dei miſericordiam; proprium fidei objectum, eſſe Dei bonitatem, quâ peccata remittuntur?* Nam ſi hic unicus fidei ſcopus,

pus,

verbo Dei,aut Evangelio continentur,puta quod ſuprà dicebamus; Deum omnia creaſſe ex nihilo; Chriſtum natum eſſe ex virgine, & reliqua Evangelij dogmata, non pertinere ad objectum fidei Chriſtianæ,neque adeò poſſe verâ & Chriſtianâ fide credi;cùm nulla facultas,ſeu virtus,ferri poſſit extra objectum ſuum adæquatum. Et hinc ulteriùs, ſive hæc ut vera acceptentur, ſive non;immò(ut pòſt inferam) etiamſi expreſsè negentur,nihil id ad ſalutem pertinere; ſed rem omnino adiaphoram, ſive indifferentem eſſe.

Quæ,quanquam,ſunt dictu atque auditu horribilia, & piis auribus prorſus intoleranda: tamen, ut dixi, negari non poteſt, quin ad eam, quam propoſuimus, Calvini doctrinam, ſint conſectaria:immò,ut jam oſtendam,ab ipſo Calvino,loco citato §.9. & ſequentibus expreſsè admiſſa.

Eo quippe loco,poſtquam Catholicos Theologos, qui fidei objectum docent eſſe, Deum,& exinde ſcilicet, quidquid eſt à Deo revelatum, ſuperbo faſtidio rejeciſſet, conſequenter addit: *Credere certè quàm plurimos,Deum eſſe, Evangelicam hiſtoriam,ac reliquas ſcripturæ partes veras eſſe,arbitrari: eſſe etiam,qui ultrà procedentes,& Dei ſermonem pro tutiſſimo habent oraculo,nec eius præcepta prorſus negligunt, & minis & promiſſionibus utcunque commoventur.*

Talibus quidem fidei teſtimonium tribuitur, ſed per catachreſin (ſive abuſum) *quoniam Dei verbum non impugnant manifeſtâ impietate, vel reiiciunt,vel contemnunt;ſed quandam potiùs obedientiæ ſpeciem præ ſe ferunt. Verùm hæc fidei,ſeu umbra,*

credas, ſive non credas (dummodo Calvinianam ſpecialem fidem habeas) perinde de tuâ ſalute ſecurus es.

Quod & dictu monſtroſum, & longè plurimis refertum abſurdis, comperietur. Si enim ita eſt; atque, ut vidimus, Philoſophatur Calvinus; fruſtra igitur de tot dogmatibus mundo perſuadendis adeò laborarunt Apoſtoli: fruſtra ſymbolum condiderunt, & illud ut credendi regulam, & Chriſtianæ fidei ſummam Eccleſiis commendaverunt.

Fruſtra vos ipſi, Domini Calviniſtæ; Confeſſionem veſtræ fidei, compluribus articulis (extra illum de fide ſpeciali) conſtantem, fidelibus veſtris contraditis.

Fruſtra adeò nobiſcum, de tot aliis articulis, inter nos & vos controverſis, tam atrociter digladiamini. Fruſtra etiam nos, quòd in horum pleriſque à vobis diſſentiamus, quin etiam injuſtè atque indignè inter hæreticos cenſetis: cùm manifeſtum ſit, hæreticum non eſſe, niſi qui veritatem aliquam ad fidem Chriſtianam pertinentem, pertinaciter reiicit; ad quam jam non pertinebunt controverſiæ illæ, de reali corporis Chriſti in Sacramento præſentia, invocatione ſanctorum, imaginum cultu, aliæque ſimiles, ex ſuprà prolatâ Magiſtri veſtri doctrina atque definitione.

Fruſtra denique, idque potiſſimùm, fratres veſtros Lutheranos, adeò inſectamini; quando & hi quoque (ſi ipſos audimus) fide illâ ſpeciali præditi ſunt, quâ ſibi vobiſcum certò perſuadent, ſe per Chriſti merita iuſtificatos, quid-

quid

quid agant aut ſentiant, in æternum perire non poſſe.

Neque obſtare poſſit, quòd (uti creditis) in certis dogmatis exerrent: quia, ut antè nos rectè animadvertit Becanus noſter in 2. parte Theologiæ, ubi de iuſtificatione ex ſententiâ Calviniſtarum: *Si adulteria, furta, homicidia, cateraque id generis flagitia non obſtant, quo minùs ſalvus ſit, is qui credit ſibi omnia remitti per Chriſtum: nec error circa prædeſtinationem, Euchariſtiam, & ubiquitatem obſtare poteſt, quo minùs ſalvus ſit Lutheranus, qui credat ſibi omnia remitti per Chriſtum.*



CAPUT XXXXIX.

De eo, quod Calvini ſequaces, in fidei inter ſe controverſiis, ad Principes aut Magiſtratûs ſaculares, tanquam ad ultimos atque ſupremos, in Religionis materia, Iudices recurrunt atque confugiunt.

PErtinet id quoque ad Labyrinthum Religionis reformatæ; & exinde: in eâ nullam inveniri certam fidei regulam, evidentiùs oſtenditur. Atque id quidem quod proponitur permirum, uti exiſtimo, immò incredibile videbitur, candido Lectori: Eos videlicet, qui alioqui, ſe non aliam fidei regulam, quàm verbum Dei ſcriptum, neque alium controverſiarum Iudicem; quàm Spiritum ſanctum per Scripturas loquentem, habere jactent,

ctent; eoque nomine Romani Pontificis iudicium (quem veluti Christi in terris Vicarium Catholica hactenus agnoscit ac veneratur Ecclesia) tanquam humanum atque profanum, contumaciter repudient; neque adeò ad Patrum consensum, aut Ecclesiæ definitionem, à nobis recurri sustineant, *ne* (ut posteà loquentem audiemus Calvinum) *videatur veritas Dei minùs firma futura, nisi hominum humeris fulciatur*: eos ipsos, inquam, in Ecclesiæ suæ causis ad Magistratus laicos atque profanos, non tantùm quoad externum regimen, sed etiam quoad doctrinam, hoc est, ipsorum phrasi; quoad dogmata, fidemque ipsam, ad extremum recurrere, atque hos pro legitimis atque supremis controversiarum Iudicibus habere.

Igitur duo intelligo, impræsentiarum nobis esse præstanda. Primùm: ut doceamus, istud quod prætendit huius Capitis inscriptio, non tentùm usu apud illos esse receptum, varùm etiam, ut ita fiat, expressis decretis constitutum.

Alterum ut manifestum faciamus, quàm id per se absurdum, atque à reliquá ipsorum doctrina alienum, atque abhorrens sit.

Atque ad primum quod attinet: in-primis lego apud Gualterium sæculo 16. Errore Calvini 14. in fine: *In Statutis Ecclesiæ* Genevensis *editis anno* 1562. quo adhuc superstes erat ipse Calvinus, *eam de doctrina controversiam, quam neque coëuntes Ministri, neque cõvocati seniores & delegati Dominatus Genevensis dirimere potuerint, ultimò tandem remitti ad Magistratum*

tum temporalem : Eique (si id sine risu, aut indignatione, proferri possit) tanquam ad supremum & sacrosanctum Ecclesiæ Calvini Patriarchalis, etiam in fidei dogmatumque controversiis, tribunal.

Nec dissimiliter; ut apud Sandæum, Becanum, aliosque expressum legimus : *Domini Status Hollandiæ mandaverunt, ut omnes controversiæ, quæ à Prædicantibus dirimi non possunt ad ipsos tanquam supremos Iudices referantur.* Quanquam, ut vidimus, in eo decreto non perstiterint, Contra-Reformantium (ut appellabant) sive rigidorum Calvinistarum, importunitate compulsi.

Et in manibus sunt, ut suprà monuimus statuta Synodi Calvinianæ Vltrajectinæ, anno 1612. ut habet inscriptio, *à Nobilibus & Potentibus illius Provinciæ Statibus* condita. In quibus varia, circa doctrinæ fideique regulas, pro suâ autoritate constituunt; quorum aliqua inferiùs, aliâ occasione, tangemus.

Extatque itidem Confessio fidei Ecclesiarum Scotiæ, hoc titulo insignita : *Brevis, & generalis Confessio Christianæ Religionis, secundum verbum Dei & Acta Parlamentorum ad Dei gloriam, & bonum exemplum omnium, subscripta à Regia maiestate* (scilicet Iacobo VI) *eiusque familia, Edemburgi* 28. *Ian.* 1580. *& regni eius* 14.

Vt & hinc appareat, quod dicebamus; eos, qui ex Calvini scitis, purum & putum verbum Dei, ut unicam fidei regulam, & controversiarum omnium arbitram se profitentur agnoscere

noſcere ; illud non aliter quàm ut à Parlamento, aliiſve ſæcularibus Iudicibus, propoſitum; expoſitum & ad ſenſum ipſis placentem, determinatum, pro fidei ſuæ norma admittere; iiſque ampliùs quam quibuſvis Eccleſiaſticis Synodis reipsa deferre.

Tandem vulgò notum eſt magnæ Britanniæ Regem à ſuis agnoſci, ut abſolutum Eccleſiæ Anglicanæ Caput; & quod hinc conſequens eſt, ſupremum Iudicem omnium fidei controverſiarum. Quam in partem dignum memoratu videtur, dictum quoddam Ioannis Ogilbæi; è Societate noſtrâ, qui anno 1615. Glaſcuæ in Scotia pro Catholica fide generosè occubuit. Quippe qui in carcere poſitus, cùm à Calvini ſectæ Miniſtris, variis quæſtionibuus urgeretur; ſeſe, inter cætera, id illis objeciſſe, refert: ipſorum fidem, ſeu Religionem, adhuc non eſſe decem annorum. Siquidem nondum fluxiſſe decennium, ex quo articulum illum, quod Rex Angliæ ſit caput Eccleſiæ, in ſuam confeſſionem admiſerint; cùm antea, aiebat, contrarium iuraſſent, & ſubſcripſiſſent. Et antea quidem, dixiſſe hoc eſſe verbum Dei; cùm nunc oppoſitum, verbum Dei eſſe dicerent. ſic ille. *Relat. de ſuo carcer.*

Tandem, ut etiam de Lutheranis aliquid addam: citatur à variis ex eâ ſcholâ Ioannes Brentius; ut qui in Prolegomenis adverſus Petrum à Soto, Principes Sæculares faciat Rectores & Iudices rerum Eccleſiaſticarum. Idque paſſim in Germania uſurpare Principes Acatholicos, etiam patebit ex dicendis.

Ex quibus ſat liquet, quod dicebamus, Calvini ſequaces etiam ex ſuis ipſorum decretis ad Principes aut Magiſtratus temporales, tanquam ad vltimos controverſiarum ſuarum Iudices recurrere. Quod quàm præpoſterè, & inconſequenter ad ſectæ ſuæ fundamenta conſtituerint, vel ipſius Calvini autoritate, doceri poteſt. Quippequi hunc ipſum recurſum; velut Eccleſiæ pernicioſum, eſſe cavendum, jam antea graviſſimis verbis præmonuerit; epiſtolâ anno 1542. (hoc eſt annis 20. ante decretum illud Genevenſe Genevæ data 23. Auguſti, ita præſcribens. *De ratione agendi, hoc expendere oportet: quale exemplum adituri ſint fratres, ſi doctrinæ Iudicem habeant Principem; ut quidquid ſanxerit, amplectendum ſit, & habendum protinus pro oraculo: Quale & quantum ſit hoc præiudicium ud poſteros. Certè ſi ita patimur, nobis iugum imponi, prodimus noſtrâ diſſimulatione, ſacrum miniſterium.* Et epiſtola ſequenti 3. Septembris ſcripta. *Nam hoc exemplo* (inquit) *poſthac neceſſe erit, doctrinam non modò poteſtati, ſed nutui, unius hominis, & quidem imperiti, ſubjectam eſſe.*

Quæ & plura, eandem in rem, profert ſuprà citatus Cudſemius in Appendice ad Synodum Vltrajectinam.

Et quamvis his locis videatur Calvinus reprobare, præſertim uſurpatum à Principe in cauſis Religionis iudicium; attamen ex verbis ipſis ſatis apparet, quid de voluntario quoque ad illos recurſu, dicendum putet; cùm etiam per illum, non leve accedat

cedat

cedat ipsi sacro (ut appellat) Ministerio, præiudicium & non mediocriter pericliteur fidei veritas ; & sinceritas Religionis.

Et sanè intelligi non potest, quâ ratione eiusmodi recursus consistat, cum eâ doctrinâ, quâ tradunt : omnes fideles suos, & nempè præsertim Calviniani verbi Ministros, pollere arcano spiritu, quo vera fidei dogmata à falsis valeant discernere.

Vt non vanè Becanus noster, *de Titulis Calvinistarum*, Titulo tertio, quæstione quarta, ex occasione decreti ordinum Hollandiæ suprà memorati, ipsos prædicantes premat hoc dilemmate : *Vel enim habent spiritum privatum, quem sibi Calvinistæ vindicant, vel non habent si habent Cur ? ipsi non dirimunt controversias : Quid opus ad DD. Statuum tribunal confugere ? si non habent ; Cur asserunt se habere ? Non capio* (subdit) *hæc mysteria.*

Equidem in-primis intelligi nequit, quâ ratione ; si eiusmodi privato spiritu omnes polleant, possit inter illos de dogmatis existere dissensio, quam suo spiritu componere non valeant ; cùm idem spiritus Dei nequeat ipsis dictare contraria, sed omnes faciat in unam eandemque veritatem conspirare.

Item, quâ ratione, ij qui se tali spiritu donatos sentiant, & certam ab illo sibi veritatem inspirari ; consentire possint, in tali ad Principem Magistratumve appellatione: quod

reipsa iam esset (quod vanè nobis objiciunt) à divino Spiritu ad iudicium humanum provocare ; & veritatem Dei discrimini falsæ atque profanæ definitionis , exponere.

Non enim apparet , ex quo principio , possint hi Iudices de fidei rebus certam proferre sententiam : quando , ex ipsa rei naturâ , supponuntur ipsi ex parte suâ instructiores non esse ; ipsius sectæ Ministris atque Doctoribus; neque dici possit ad eum finem speciali iuvandos divini Spiritus , ut appellamus, assistentiâ: cùm iuxta Apostolum Eph. 4. non Principes aut Magistratus temporales , sed Pastores & Doctores Ecclesiæ , constituerit Christus , *in opus* sacri *ministerij* , & *ædificationem corporis* sui mystici; & nominatim in *unitatem fidei* in nobis tuendam; *ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ &c.*

Ex quo ad extremum istud sequitur : quod cùm talium Iudicum sententia , ex nullo capite certitudinem ac firmitatem habeat , non teneantur diversa sentientes , ei iudicio , saltem in conscientia (uti loquimur) obtemperare ; sed , ut summum , externâ specie , & politicâ quadam ratione (prout statim magis intelligetur) silentium pacemque servare. Alioqui enim perindè ac priùs , incerta manere omnia ; & non nisi cutem , ut ita loquar , obduci crudo vulneri , quod suppressum urat acerbiùs , & dato tempore erumpat in saniem , partemque inhalet funestiorem.

Quanto certiùs, planiùs, constantiùs, etiam ex complurium Acatholicorum confessione, in fidei salutisque

ſalutiſque negotio, procedimus nos Catholici; qui, ubi in aliquâ fidei veritate perplexitas occurrit, aut controverſia, non eâ gratiâ ad ſpiritus privati cæcas latebras, neque ad poteſtatis ſæcularis impar iudicium confugimus; ſed ipſius Eccleſiæ Catholicæ, (adverſus quàm, ut in Petrâ fundatam, & velut columnam & firmamentum veritatis, à Sponſo ſuo ſtabilitam, nullam unquam hæreſim prævalituram certi ſumus) ea ſuper re ſenſum, traditionem, definitionem exquirentes; ubi de eâ conſtiterit, ſimpliciter, promptè, immobiles, unanimes acquieſcimus, & adhæreſcimus: certi ipſam eſſe, indubitatam Spiritus Sancti interpretem, & quidquid illa tradiderit definieritve, infallibilem, atque immotam, æternamque eſſe veritatem.

Dixi autem expreſsè; immobiles nos & unanimes Eccleſiæ ſenſui ac definitioni acquieſcere: quò ſignificarem, per eum ad Principes recurſum, neutrum horum obtineri poſſe. Quando idem Princeps, aut eius ſucceſſor, libertimè poſſit, ab eo quod priùs conſtitutum ſit, recedere: neque unquam omnes, qui eandem ſectam profiteantur, in eadem dogmata conſenſuri ſint. Ex quo neceſſe eſt fluctuare omnia, neque quidquam certi, etiam in eâdem ſectâ conſiſtere. Quam in rem poterunt quæ exempli causâ ſubjicio, conſiderari.

In-primis ſiquidem Iacobus VI. Scotiæ Rex, ut antea vidimus, iuratus ſubſcripſit Cōfeſſioni Puritanorum Scotiæ, proteſtans ſe omnibus illius

Quod, obsecro mi lector, quid, per fidem tuam, aliud esse dixeris: quàm divinæ formam Religionis, velut amictum mutare, sive pro libitu, modò sumere, modò ponere; aut, quod Arianis, suæ fidei modulum identidem variantibus, olim exprobrabat S. Hilarius, fides annuas, aut etiam menstruas, habere?

Quâ item ratione Lutheri aut Lutheranorum inconstantiam accusans, apud Claudium de Sainctes, Dux Saxoniæ Georgius, aiebat scire se quid eo anno, seu mense docuerit Lutherus, aut crediderint Lutherani; sed quid insequenti, seu anno, seu mense credituri sint, sibi prorsus incertum esse.



CAPUT L.

Adduntur nonnulla ad maiorem dictorum explicationem.

Cæterùm cùm non desint, etiam viri eruditi, qui eam, de qua agimus, potestatem autoritatemve Magistratibus competere contendant: è quorum numero, Hugo Grotius, libro speciali quem inscripsit, *De pietate Ordinum Hollandiæ*, ab iis editum eâ de re decretum, allegato etiam magnæ Britanniæ Regis exemplo, studiosè defendit: placet ad extremum ex eo Tractatu pauca decerpere, eorumque inanitate ostensâ, contrarium sensum, usumque Ecclesiæ Catholicæ, confirmare.

Is igitur autor, adversus Contra-Remonstrantes, argumento quodam (ut aiunt) *ad hominem* utitur, sed quod æquè valeat, adversus ipsummet Calvinum, sectæ autorem. Ita enim ait: *Vos minimo de plebe Quiriti*, (sic etenim loquitur vir litteratus, hemistichio mutuato ex libro 1. Amorum Ovidij, quod clarius diceret; vos minimo cuique de cætu vestro) *de Synodi placitis iudicium aliquod conceditis. Neque enim credere tenetur quisquam (ut dicitis) quod Synodus præcipit, sed de cuius veritate persuasus est. Hoc ipsum saltem Regi concedite. Id ubi concessum sit; cogitate, an aliam Rex fidem, propugnare, fovere, ornare debeat, quam eam cuius ipse* πληροφορίαν *habeat*; id est, certam persuasionem.

Apud Sandæum P. 2. Hydri Holland. l. 2. c. 4.

Quam vocem is autor, jam magis Theologum agens, desumpsisse videtur è textu Græco Epistolæ Pauli ad Hebræos cap. 10. v. 22. ubi commendatur. πληροφορία πίστεως; quam vulgatus vertit, *plenitudinem fidei*; alij autem *plenam persuasionem fidei*.

Igitur iuxta hunc Calvinistam, liberum est cuilibet Principi, eam quam ipse sibi fidem ut veram persuaserit, subditis suis tenendam præscribere; & ita (quod suprà vidimus, perabsurdum censere Calvinum) necesse erit, doctrinam, non modò potestati, sed nutui unius hominis, & quidem imperiti, subjectam esse.

Quam quidem in doctrinam fidei, ambitiosam usurpationem, adeò adamavit prædictus Rex, ut eam sibi arrogasse non contentus, eandem aliis quoque Principibus persuadere conatus sit. Quippe quem audias, Epistolâ quadam monitoriâ,

riâ, Principibus Europæ missâ (apud Sandæum epistolâ ad amicum Italum de dissidio Protestantium Hollandorum n. 64.) ita loquentem: *Cùm Paulo, opto omnes fieri tales, hac una in re, qualis ego sum. In-primis, ut velitis scripturas pervolutare: ex his credendi normam petere; neque aliorum incertis opinionibus, sed vestrâ ipsorum certâ scientiâ* (quæ nempe est illa jam memorata πληροφορία) *vestræ fidei fundamenta collocare: quando iustus ex fide suâ vivit, & unusquisque sit fide propriâ salvus.* Sic ille. Parum quidem scitè, aut ad scripturæ mentem accommodatè.

Etenim quod Habacuc 2. dicitur iustus in fide sua vivere; suâ, inquam; id est, quam quisque subjectivè (ut aiunt) habeat in semetipso; non rectè ita accipitur, quasi etiam ex parte credendorum, debeat unusquisque fabricare sibi fidem specialem & propriam; &, non potiùs, si securus esse velit, attendere quæ sit fides communis Ecclesiæ Christi; cui nempe credita sunt eloquia Dei, & simul commissa clavis, ea interpretandi, & legitimum eorum sensum aperiendi.

Et contraria animi inductio (ut evidens erit, apertos habenti mentis oculos) fuit, eritque semper, origo & fons omnium hæresum, & pestifera radix, supremæ in Ecclesia perturbationis. Hoc enim illud est, quod in Arianis, aliisque hæreticis graviter accusat magnus ille S. Hilarius; quem utique suprà jam audivimus, & hîc rursum audire liceat, in hæc verba egregiè disserentem. *Multi sunt qui simulantes fidem, non subditi sunt fidei; sibique fidem potiùs constituunt, quàm accipiunt* (ab Ecclesia videlicet) *sensu hu-* *l. 8 de Trin.*

mana

manæ inanitatis inflati, dum quæ volunt sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt: cùm sapientia hæc veritas sit; interdum sapere, quæ nolis.

Addimus (quod rectè observat è Calvini scholâ antea memoratus à nobis Ioannes Serranus) iuxta mentem, B. Petri scripturam non esse ἰδίας ἐπιλύσεως, id est, propriæ sive privatæ explicationis.

Epist. 2. c. 1. v. 20. Tandem, quod addebatur, hac ratione persuasum Principem, iustè ac rectè posse, illam fidem suam, velut ab omnibus unicè tenendam promulgare, nescio quomodo, cum Calvini supra laudatis verbis conciliari possit.

Nisi fortè quis dicat, quod in modò dictis tacitè insinuatum est; non sic accipiendum edictum Principis, ut id quod sanxerit, ita habendum sit pro oraculo, quias constringat conscientias, & non fas sit, ei qui aliter persuasus sit, intus in animo dissentire. Sed eò duntaxat eam valere Principis providentiam, ut sic consulatur, tranquillitati publicæ, & (quâ propriè voce usum invenio Iacobum Regem epistolâ quadam ad ordines Hollandiæ) ita *sopiantur*

Hydri Holl. P. 2. c. 3. n. 10. *autoritate publicâ lites Religionis*, ut ne erumpant in publicum, & tumultûs quiddam eâ gratiâ conticetur.

Verumtamen hæc ipsa etiam agendi ratio in eâ specie, quâ proponitur, adeò apparet deformis & inconveniens; ut (quidquid sit de doctrinæ ipsius consequentiâ) ne ipsum quidem Calvinum existimem, eam terminis propositis, apertè & clarè comprobaturum aut admissurum esse.

Quid enim hoc esset aliud, per fidem vestram, nisi

nisi in negotio religionis, & salutis æternæ ludere;& figuram quandam Religionis, seu quasi mimicam & theatralem Religionis ideam,quæ politicæ paci præsertim subserviat, Macchiavellistico artificio assumere: cæterùm quid sincerus Dei cultus,quid fidei veritas,quid animarum salus,conscientiarum quies postulet,nihil pensi habere.Ex quo etiam fiat,quod aliàs paucis indicavimus;ut,dum servatâ tantùm externâ specie præscriptæ Religionis,unicuique privatim credendi, quod complacitum sit,libertas relinquitur, paulatim surrepat etiam nihil credendi licentia ; & hinc in Atheismum Epicureismumve,hoc est in extremæ cæcitatis ac nequitiæ,tandemque perditionis,barathrum,præcipitet,infelix anima:quod utinam non esset ipsâ experientiâ compertum.

Quò quidem pertinet,quod ex Guilielmo Barloo Anglo suprà retulimus.*Religio in Anglia à multis annis conversa in Statismum,brevi transibit in Atheismum.*

Clausulæ gratiâ placet addere , in improvidos istos Sectarios,rectè convenire,quod Iob 6.capite scriptum est:*Qui timent pruinam, irruet super eos nix*. Nam falso prætextu libertatis Evangelicæ,à Vicarij Christi obedientia , quam tyrannidem appellabant,se subduxerant;Principibus modò in rebus fidei & Religionis , iurisdictionem, ut sic appellem,usurpantibus,deterioris jam conditionis se factos esse inveniant;ita ut potiori iure , eam usurpationem censere possint tyrannicam,tum aliis de causis,tum ex eo quod exerceatur in eos,qui ex suæ sectæ placitis,sese Dei spiritu,ad id quod quisque privatim sibi credendum putet, instructos esse intelligant,

Quod sanè jam olim sensisse & deplorasse Magdeburgenos, apparet ex iis quæ scribunt in Præfatione ad centuriam septimam: Vbi *Magistratus politici*, inquiunt, *aut etiam eorum Ministri, censorio quodam supercilio, novam Religionis formam præscribunt, & non minus imperiosè, quàm Romanus Pontifex, obtrudunt.*



CAPVT LI.

In Synodi Calviniana processu, pronuper Dordraci habita, velut in illustri speculo, quàm nusquam consistat eius Secta disciplina, manifestò conspici posse.

PRæmittenda nobis est hoc capite aliqua eius Synodi notitia; ut ex illâ deinceps, id quod contendimus, efficiamus.

Præsciendum est igitur, sub sæculi currentis exordia, subortas esse in Batavis, inter Leydenses Theologiæ Calvinianæ Professores Iacobum Arminium, & Franciscum Gommarum; eorumque Asseclas (quorum illi, propter libellum Ordinibus Hollandiæ exhibitum, *Remonstrantes*; hi, propter responsum ei libello oppositum, *Contra-Remonstrantes*, deinceps appellati sunt) circa divinam Providentiam, hominumque seu prædestinationem, seu reprobationem, aliaque annexa decreta, gravissimas sanè turbulentissimasque controversias; non sine scandalo offésionemve totius Religionis reformatæ.

Et

Et Principio quidem cùm se Arminiani, qui molliorem viam, & Catholicis propiorem sectabantur, à Gommaristis rigidis Calvinistis; & quorum illi assertiones, horridas, & in Deum contumeliosas, esse dicebant, eâ gratiâ vehementer vexari, & tantùm non opprimi sentirent; opportunum factu censuerunt, ad politicum Magistratum; ipsos, inquam, Hollandiæ ordines tanquam legitimum controversiarum fidei Iudicem, protectionis causâ recurrere. Susceperunt illi non illibenter Remonstrantium patrocinium, & pro autoritate, quam & ipsi sibi eâ in parte competere censerent; huiusmodi decretum, à Sandæo nostro relatum; pro pace (ut inquiunt) Ecclesiarum anno 1614. edidere. *Parte 1. Hydri Holland. l.2.c.3.*

Quando multum dissidij ac contentionis, per harum regionum Ecclesias subortum est, ex diversis interpretationibus locorum S. Scripturæ: idcirco rebus diu multumque perpensis, usi eâ autoritate, quæ nobis, ut summis legitimis potestatibus; iuxta Dei verbum, eorumque Regum, Principum ac civitatum, quæ reformationem Religionis amplexæ sunt exempla, competit; imperavimus, atque etiamnum imperamus; ut in memoratis interpretationibus diligenter quisque attendat; mandantque proinde Ecclesiæ pastoribus, ne aliud; quam quod ipsi definiunt; infigant populo; quasdam verò propositiones (Contra-Remonstrantium videlicet mox referendas) *nullo modo doceant.*

Eademque in causâ, et simili usi autoritate Provinciæ Vltrajectinæ Ordines, in supra citatâ Synodo anni 1612. cap. 2. num. 4. præcepe-

rant

rant: *Vt in tractandis hisce materiis ea adhibeatur moderatio, ut ne cui detur occasio iure suspicandi, aliquid in Ecclesiis nostris doceri, ex quo sequi possit: Hominem ullum à Deo creatum ad condemnationem. aut: Hominem ad peccandum necessitate aliquâ extrinsecâ alligari. aut inciuari quenquam ad salutem à Deo petendam, cui tamen ipse absolutè eam non dare decreverit; aut: facere aliquid Deum, quod ullam habeat speciem iniustitia.*

Hæc enim (subdunt) *ad Dei infamiam, & blasphemiam Christiana nostra Reformationis, spectarent, gignerentque in aliis quidem securitatem, in aliis verò desperationem.*

Hæc tum hi, tum illi; Remonstrantibus expresè tum quidem faventes.

Tumultuantur hîc Contra-Remonstrantes; & quia in eo rerum articulo, causæ suæ sic expediebat; negant, fidei controversiarum cognitionem Magistratui politico competere: & vehementi scripto ipsos ordines aggressi, demõstrant quantæ, ex eo Remonstrantium conatu, corruptelæ suboriri natæ sint: *Quarum*, inquiunt, *quis fructus nisi, ut alterâ alteram ducente, veritas tandem exulet, Ecclesiisque pessundatis, merus Atheismus, aut Epicureismus obtineat; & gravem in vos vobisque subditos iram Dei concitet &c.* Sic illi.

Sandæus supra c.4.

Quapropter exinde in dies magis ægrescentibus animis, & intendentibus se, non sine tumultu, studiis partium; cùm aliud nihil succurreret remedij: placuit denique ipsis Hollandiæ Ordinibus, ex Contra-Remonstran-

tium

tium voto, quò res efficaciùs, & maiori pondere autoritatis perageretur, eâ gratiâ ex omnibus Regnis Provinciisve, in quibus vigeret Reformatæ Religionis exercitium, viris eruditis; suâ curâ ac sumptu evocatis, quasi generalem Synodum indicere: quæ denique anno 1618. mense Novembri, Dordraci urbe Hollandiæ Metropoli (ubi & alia nationalis Synodus anno 1578. habita fuerat) coacta, permultis habitis sessionibus, & sententiâ denique pro Contra-Remonstrantibus pronuntiatâ, anno 1619. mense Maio, conclusa & terminata est.

Quo autem eventu, successu, fructu, rei nostræ interest, inspicere.



CAPUT LII.

In quo; quid tandem emolumenti detrimentive, ex ea Synodo captum fuerit, expenditur.

Ergo quis Synodi tam generalis tamque operosæ, successus aut fructus demum fuerit, studiose Lector, attende.

Primùm enim exinde, ipsi Remonstrantes ex parte suâ, magis se in suis assertionibus adversus Synodi decreta, obstinarunt: non iis duntaxat cavillationibus, quibus & olim Ariani v. g. Nicenæ Synodo, & recentiùs Novatores nostri Tridentinæ parère detrectarunt; puta quod Synodus libera non fuerit, quòd ipsi non fuerint auditi, quòd Synodi Patres,

partim

partim propria animi inductione, partim Principum voluntate præoccupati, anticipatas iam & deliberatas sententias ad eam attulerint; quæ & his similia, potiori iure in re præsenti poterant ipsi opponere; quippe prædure ac præter æquum à Synodo habiti; ut manifestum est ex ipsis Actis.

Verùm insuper ac potissimùm, ex propriis Sectæ Calvinianæ principiis, Synodi iudicio obluctabantur: quòd nempè secundum sectæ suæ placita, non alium Iudicem controversiarum, quàm verbum Dei scriptum agnoscerent: ipsi autem iurare parati essent, sese in propugnandis suis dogmatis, solo Dei verbo, eoque evidenti, niti.

Ad hæc inculcabant, quàm recentes sectæ profitentur & iactant libertatem Evangelicam; secundùm quam par non sit coarctari fidelium conscientias: sed (quod ipsi quoque Contra-Remonstrantes in scripto suo agnoscere visi sunt) relinqui debeat unicuique facultas, id in Domino credendi, quod credendum esse, iuxta verbum Dei, interior spiritus demonstrarit ac persuaserit: Sic illi; & si principiorum istius Sectæ consequentia tenenda sit, meo quidem sensu, non nimis absurdè.

Sed quid ad hos questus Remonstrantium, Domini Contra-Remonstrantes, ex parte suâ reposuerint, nunc attendite.

Etenim auditis fratrum sententiis, Synodi nomine edixerunt, illis Synodi præsides: *Quandoquidem res autoritate summi magistratus agitur; acquiescere debetis.*

Vestris

Vestris conscientiis non imperamus: relinquitur vobis liberum iudicium privatum; non verò publicum verbo aut calamo expressum.

Atque has ipsas voces, ex ipsis Synodi Actis sessione 30. desumptas, apud Maximilianum Sandæum, libro de Synodo Dordrectana, consideratione 10. reperies.

At hîc fidem tuam, quæso, quisquis es, sive Catholice, sive Acatholice Lector. Potuitne quicquam ab illo Doctorum Reformatorum flore delibato absurdius decerni, aut aliâ ullâ ratione, quàm eo diserto expressoque responso (tametsi à Calvini sensu nihil abhorrente) ipsi Calvinianæ sectæ luculentior plaga imponi? ut enim non abs re, quasdam Isaiæ Prophetæ voces huc transferam: *Stulti Principes Taneos, Sapientes Consiliarij Pharaonis, dederunt consilium insipiens. Dominus miscuit in medio eius Spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum* &c.

Quod ut perspicias, reflecte huc paulisper animum, & rei seriem, quod ad præsens attinet, mentis tuæ oculis subjice.

Ad componendas controversias fidei gravissimas, easque veluti utraque pars confitetur, circa veritates Religionis fundamentales, inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes, magnâ Ecclesiæ perturbatione, & fidelium offensione exortas atque, agitatas; conveniunt ex Britannia, Gallia, Germania, Belgio Religionis Reformatæ primaria capita: fitque Synodus appellata ab ipsis Nationalis. Longa instituitur de articulis controversis disceptatio; examina-

tur diligenter, quid de iis ex verbo Dei sentiendum sit; attenditur etiam quis de iis sit Doctoris Calvini sensus; id est, juxta Bezam, consulitur *os Domini*, & magni Prophetæ sensus exquiritur.

Omnibus discussis, atque perpensis, damnantur assertiones Remonstrantium; & iis oppositæ cum nonnulla tamen modificatione, tanquam veritates Evangelicæ definiuntur à Synodo; & ut ab omnibus tenendæ, sub pœnis gravissimis proponuntur ac promulgantur.

Quid verò postea? Nimirum post ista omnia, declarat ipsa Synodus; non esse intentionis suæ, per sua decreta, cuiusquam conscientiam constringere; sive, ad ea quæ definita sunt, tanquam fidei veritates, acceptanda obligare; sed, dummodo quis nec verbo, nec scripto, contrarium quidquam publicè doceat, liberum illi esse, id quod illi sua conscientia dictet, privatim tenere; & consequenter in animo suo, ab his quæ Synodus definierit, tutâ conscientiâ, & salvâ fide Calvinianâ, dissentire.

Ergo eâ duntaxat gratiâ, tanto molimine cogebatur ille nationalis, tot Religionis Reformatæ procerum atque mystarum, unà cum non paucis è potestate civili deputatis, conventus; ut soli nimirum externæ paci, politicæque rationi, non autem fidei sinceritati, tranquillitati conscientiarum, animarum saluti consuleretur; neque, ut denique constaret fidelibus, quid in re præsenti, juxta verbum Dei, necessariò credendum sit: sed tantùm, ut scirent, quænam eis in foro externo, ita nunc postulante rerum statu,

at

atque ob bonum pacis, quasi politica Religionis forma tenenda: cæteroqui videri, eas res ad salutem esse indifferentes, dum teneat quisque privato iudicio, quod sua sibi conscientia, magis consentaneum veritati, consulto Dei verbo dictaverit.

Ex quo proinde, id consequens sit: ut si, temporis lapsu, easdem contingat recrudescere controversias, &, ut versabiles sunt affectus sensusque mortalium, & (quod factu pronum est) Principibus ipsis, seu Magistratibus aliter animo cõparatis, prævaleat factio cõtraria; possint, inquam alio coacto conventu, ita jam postulante tranquillitate publica, definiri assertiones ante definitis oppositæ, velut verbo Dei consentaneæ; addito, duntaxat nullam vim inferri conscientiis. Atque ita etiam quoad veritates existimatas fundamentales, in contrarium mutari possit Confessio fidei Calvinianæ; non sine scandalo totius Ecclesiæ Reformatæ, & perturbatione conscientiarum.

Atqui ex vobis libens audiam, ô boni: an cùm magna illa venerandæ antiquitatis Concilia, puta Nicenum, Ephesinum, &c. Controversas fidei veritates, sub anathemate definiebant; existimetis Patres illos Sanctissimos juxta ac Doctissimos, id tantùm habuisse propositum, ut quid de illis fidei mysteriis exteriùs tenendum ac profitendum esset, decernerent; si quis autem in animo suo, de filio Dei v.g. indignè & contumeliosè sentiret, ad salutem æternam nihil admodum interesse, censerent?

Perinde atque si Spiritus veritatis, quem

Christus promisit Ecclesiæ suæ, non ut asserit ipse Salvator, docturus sit eam omnem veritatem; sed tantùm suggesturus, quænam externa Religionis forma, aut publicæ doctrinæ ratio, in hac vel illa conditione rerum politicæ paci tranquillitatique conservandæ magis opportuna; sive interim vera sit seu falsa, eadem ad salutem conducens, aut saluti contraria. Quod vel cogitare insanum sit, & asserere, sacrilegum.

Hîc porrò jam vide, quisquis Calvino studes, lector ingenue, quanta hîc insuper rerum catastrophe, fluctuatio sententiarum, & in re omnino summi momenti, ubi de fidei sinceritate, & animæ salute agitur, quanta in totius negotij processu, inconstantia, atque perturbatio.

Primùm enim ipsi Magistratus Politici, qui priùs, impulsi à Remonstrantibus, iuxta verbum Dei, & aliorum Principum eiusdem factionis exemplum, earum controversiarum iudicium sibi competere pronuntiantes, assertiones Gomaristarum, tanquam Deo ipsi iniuriosas, & in Reformatam religionem contumeliosas, publicè vetuerant; mutatâ jam velificatione, eâdem supremâ autoritate, assertiones easdem, tanquam verbo Dei consentaneas, ab animarum Pastoribus publicè docendas defendendasque definiunt; ipsosque Remonstrantes damnant, persequuntur, & nisi conditionibus durissimis sibi propositis subscribant, proscribunt atque relegant. Ipsi, inquam, Magistratus politici. Neque enim tantùm, ùt habet Synodi præfatio, eadem iussu & autoritate ordinum Hollandiæ, seu fœderatarum Belgij Provinciarum, convocata & congregata

est,

est, ſed etiam nutu mandatoque directa. Vnde illud eſt aſſiduum in Actis; *Sic mandarunt ordines &c.*

Quid verò hîc contra-Remonſtrantes, Nimirum jam Magiſtratus Politici, cui antea ſcripto peracerbo, ullam hac in parte autoritatem competere negaverant, eiuſdem, inquam, modò decreta, Synodi nomine veſtita atque ſubornata, ut Evangelicas veritates, ſuſcipiunt atque exoſculantur, deque adverſariis hac ratione ſupplantatis, exultant.

Tandem, è diverſo miſeri Remonſtrantes, qui principiò, quò ſe ab adverſariorum infeſtatione liberarent, Magiſtratum Politicum, pro legitimo atque ſupremo cauſarum fidei iudice acceptaverant, ſeſe jam ab illo, Synodi operâ, damnatos animadvertentes, ipſius Synodi iudicium tanquam incompetens declinant atque rejiciunt: teſtati ſe nullum controverſiarum Iudicem admittere, præter verbum Dei &c. Quemadmodum antea ipſi Synodo, quam meritò ſuſpectam habebant, in hæc verba denuntiarant, apud Sandæum, libro de Synodo, conſideratione 5. Vbi: *Expectabimus,* inquiunt, *quid de tota hac re Synodus iudicatura ſit, ut ſi illud comperiamus divino verbo conſentaneum, ſuffragio noſtro lati, & cum gratiarum actione comprobemus. Sin minùs; patienter &c.*

In eo denique conſentientes ipſis contra-Remonſtrantibus; quorum in ſcripto contra illos edito, ea eſt profeſſio, apud eundem Sandæum. *verbum Dei ſolum in ſacris litteris expreſſum,* P. 2. hydri
cum ſit αὐτόπιστον (ſive per ſeipſum, & abſque Holl. l. 2. c. 4. n. 14.

 cuiuſcunque

cuiuscunque Iudicis determinatione, fidem faciens) *regula est & norma fidei. Spiritus Sanctus illuminans corda electorum, testificatur de veritate, obsignans eam in animis ipsorum,* Sic illi. Pulchra quidem verba, sed quid rei subsit, attendendum est.

Duo allagantur: scriptura, ut regula fidei, & Spiritus interior, veritatem in cordibus obsignans. Sed cùm altera pars, eadem ipsa pro se alleget; quippe quæ & scripturā profiteatur sequi ut regulam, & habere pro se internum testimonium Spiritus Sancti; quamdiu ad hæc nullus accedit Iudex legitimus, qui vel de legitimo scripturæ sensu, vel de spiritus interni sinceritate, in alterutram partem authenticè pronuntiet; perinde incerta restant, omnia; neque est modus ullus efficax, quo finis imponatur controversiæ, & Ecclesiæ sincera pax, conscientiisque vera tranquillitas reddatur.

Atqui ex Calvini Calvinistarumque confessione, talis Iudex non est ipsa Synodus, negante Calvino, uti vidimus, eo ipso veram & certam Scripturæ interpretationem, quod Concilij suffragiis fuerit recepta; & universè affirmante cujusvis Concilij definitionem, adhuc examinari posse ad divini verbi regulam: idque videlicet à quovis fideli, perito, imperito, lanione, cerdone, puella rudi, anu delira: quam quidem si, per privatum Spiritum, minùs consetire cum ipso Dei verbo iudicet, possit, salvâ fide, à Concilio diversa sentire.

Ergo, ut dicebamus, etiam post Synodum perinde incerta pendent omnia; & ulteriori examini

mini seu inquisitioni obnoxia. Vt jam mihi liceat in novatores nostros opportunè jacere, quod olim in suos præclarè intorquebat Tertullianus in aureo libro de præscriptionibus Hæreticorum. Vbi cùm illud cap. 11. præmisisset: *Nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit*; postea subiungit cap. 14. *cum enim quærunt adhuc, nondum tenent, cùm autem nondum tenent, nondum crediderunt; cùm autem nondum crediderunt, non sunt Christiani.* Sic ille.


Atque ad extremum manifestum est in toto eo negotio recurrere puerilem illum, & Calvini sectæ familiarem circulum, dum pro fidei veritate dignoscenda, à Spiritu singulorum privato quasi provocatur ad Synodum nationalem, & ab hac singuli remittuntur ad suum privatum Spiritum; ut patebit rem consideranti.

Tandem quod ad talis processus formam utcunque sustinendam, acutè sibi effari visus est libro suprà relato Hugo Grotius, dicens: De *suâ Religione Iudex est unusquisque: de Ecclesia fide ipsa Ecclesia statuit*: mirum sanè hoc est, homini erudito, & in sacris litteris multum versato, tam incautum dictum excidisse. Perinde nimirum, ac si alia esse, posset membrorum fides, alia corporis: aut, quasi divinus Apostolus ad Ephesios cap. 4. quod suprà monuimus, non apertè denuntiet: Christum posuisse in Ecclesiâ suâ Apostolos, Pastores, Doctores &c. qui ita Corpus Christi (quod est Ecclesia) ædificent, ut tandem *occurramus omnes* (id est universè singuli) *in unitatem fidei*, & non *cir-*

cumferamur omni vento doctrinæ &c.

Adde : vel fidem quam ipsa sibi statuit Ecclesia , esse certam & infallibilem, vel dubiam atque fallacem. Si posterius : ergo eo ipso non erit Ecclesia Dei vivi , quæ esse debet columna & firmamentum veritatis.

Si prius: igitur permittendi non erunt singuli suam sibi fidem ex proprio Spiritu modulari; cùm manifestum sit , eam falsam fore : si fuerit fidei ipsius Ecclesiæ contraria. Sed de his satis : Iam enim abundè de suscepto à nobis argumento disputatum est,& finem respectat prima hæc nostra exercitatio.



CAPVT LIII.

Ex decursu operis infertur , Sectis Reformatis nihil solidi aut certi inesse : sed eas , sub speciosis prætextibus , inanem duntaxat ideam, & fallax simulacrum Evangelicæ veritatis exhibere.

EX his ergo,quæ toto Tractatu,quâ cum Dei gratiâ , potuimus fide ac diligentiâ pro rei momento deduximus , manifestum opinor,evadit studioso & attento Lectori,contrariis saltem præiudiciis non nimium occupato;apud adversarios nostros , nihil solidum,atque subsistens, in quo quis pedem tutò figere possit, haberi;nullam inveniri certam regulam,quâ se,in negotio æternitatis,dirigat ac firmet salutis suæ cupiens

animas

anima : ſed potiùs vacillare omnia,& ob ſingulorum firmamentorum infirmitatem ab uno recurri ad aliud; atque ad extremum aut nihil dici ; aut ad id quod primò aſſumptum,nec ſufficiẽter ſtabilitum fuerit,repetito labore,ſed ſemper ſupervacuo;rediri. Omnem denique Sectarum novarum diſciplinam, prout prætendebat ſcopus operis,in probroſo circuitu, cæciſque & in ſemet recurrentibus anfractibus, & verbo uno,in Labyrintho inextricabili, verſari. *Semper enim*(uti principio,cum S.Hieronymo dicebamus)*errantium fluctuant pedes* &c.

Quam equidem mentis, in vitæ ſuæ rationibus conſtituendis fluctuationem,*jactationem animi,non invenientis exitum*,& rurſum, *nuſquam reſidentis animi volutationem*, verbis ad rem noſtram perappoſitis,indigitat, damnatque Seneca libro de animi tranquillitate,cap.2.

At verò Lirinenſis Vincentius c.25. in fidei rebus fluctuantes animo deſcribens, ait illos, ſeu tempeſtate jactatos,in ſemetipſos recurrentes,tanquam contrarios fluctus collidi : quippe *incertos quò eant, quò redeant;quid appetant,quid fugiant;quid teneant,quid dimittant.*

Quæ,ut ipſe appellat, *dubij & malè penduli cordis afflictio*,ingens quidem malum, ſi in eà ſiſtatur(quandoquidem fides incerta & fluctuans nulla fides eſt)attamen ſubdit,*divinæ erga ſe miſerationis medicina eſt,ſi ſapiant* : id eſt,ſi diverſis agitati cogitationum procellis, intelligant denique nullum ſe iſtius jactationis finem inventuros,niſi ſeſe *intra fidiſſimam ſtationem placidæ ac bonæ matris*;Eccleſiæ,inquam,Catholicæ,
velut

velut postliminio, *reducat*. Sic ille. Cuius prisci autoris sensus ac voces, eò libentiùs refero: quòd is quoque sit scopus proprius, ac finis unicus, exercitationis præsentis.

Porrò quod ad l. bamus: Religionem Reformatam, falsis transfiguratam, prætextibus, nihil nisi umbram, simulacrumve fallax Evangelicæ veritatis habere; id quoque certis argumentis toto tractatu evictum est: quæ placet hoc loco in pauca velut recolligere; ut tota res sub unum tanquam aspectum subjiciatur.

In-primis siquidem illa in Titulo Confessionis Calvinianæ, jactantiæ plena protestatio: eos se esse, qui secundùm puritatem Evangelij, vitam instituere percupiant, &, quod assiduè crepant sectarij, sese unicè pro fidei regulâ, purum verbum Dei scriptum habere; mera verba sunt, & larva quædam, dogmatum ipsorum dedecori obtegendo, obducta.

Vt enim hoc loco non exaggerem, eodem prætextu olim usos esse, quicunque ab Ecclesiâ Catholica secessionem facerent: quo facit quod apud Augustinum l.2. contra Petilianum Donatistarum c.1. mentio fiat cujusdam epistolæ, ab ipso in hunc modum inscriptæ: *Petilianus Episcopus, dilectissimis fratribus, compresbyteris, & Diaconibus, ministris per diœcesim, nobiscum constitutis in sancto Evangelio*: manifestissimè, velut opinor, demonstravimus; eos qui præsertim sese eo nomine venditent, minimè omnium Evangelicos esse.

Quis enim cordatus, eos vel leviter puri verbi Dei studiosos cultores existimet, quos in hoc

Tractatu

Tractatu animadvertat; ipsum scripturæ textum, ubi id ex usu suo esse videant, corrumpere, pervertere, adulterare? eius autoritatem variis modis deterere; ipsum Christum, illius autorem, indignis modis deprimere, & vel vilissimo cuique de suâ secta parem facere; eiusdem divina & sacrosancta verba ad suam censuram evocare; tandemque manifestissimas ipsius Scripturæ sententias, in sensum contrarium torquere; omnemque adeò Evangelij harmoniam perversâ interpretatione dissolvere, atque eo pacto, illud infidelium contemptui atque irrisioni exponere? Vno verbo, quoties id eis est collibitum, non sensus suos ad sacram Scripturam, sed hanc ad suos sensus, per fas & nefas adducere: quod jam in reipsa non est aliud, quàm seipsos, aut spiritum suum interpretationis verbi Dei regulam, contra quam oporteret, constituere. Quibus denique nominibus meritò inferre liceat, Tertulliani verbis, Sectariorum istorum disciplinam, aliud nihil, quàm *adulteria Scripturarum, & expositionum mendacia* continere; atque ad extremum, eosdem non puri verbi Dei studiosos cultores; sed quo nomine Marcionem compellat idem antiquissimus scriptor, *interfectores veritatis* Evangelicæ appellare. Adde illos ipsos in fidei suæ propriâ regulâ assignanda, nec satis constanter, nec satis exploratè procedere.

De præscrip. c.18.

L. de carne Christi c.5.

Principio siquidem profitebantur nihil recipiendum, nisi quod in verbo Dei scripto disertè, & uti loquimur, in propriis terminis expressum esset: quo modo videas Puritanos Anglos apud Henricum Fitzsimon tradentes: *nihil esse credendum,*

Britannom. l.1. cap.5.

dum, nisi quod in scriptura totidem verbis expressum sit. Atqui, ut ostendimus, deflexerũt primùm ab ea verbipuritate ad consequentias; ab his ad implexã & Labyrinthæam analogiam fidei; ipsâ vocabuli obscuritate rem involventes, & nihil satis certi aut fixi determinantes. Atqui vacillante regulâ fidei, ipsam quoque fidem claudicare necesse est, neque in hac veram certamque, sed umbraticam tantùm, & imaginariam Religionem fundari posse.

Rursum: cùm duo sint tanquam fundamenta, seu (ut Calvino loqui visum) velut cardines Ecclesiæ Reformatæ. Quorum alter habet se, ut dogma fidei primarium, & ex quo reliqua apta & quasi religata pendeant: nimirum articulus ille: *Hominem iustificari per solam fidem*: quem uti vidimus, ipsi Reformati, tanquam Ecclesiæ suæ animam habent, solum primum salutis fontem, omnium denique articulorum primum & summum; prout apud Brerleium, loquitur etiam Confessio Bohemica.

Tract. 2 c. 2. sect. 11. §. 3.

At cardinum alter, ex ipsorum sensu, habet se ut norma proxima, applicans rebus credendis, ipsam regulam credendi, sive scripturam sacram; estque ille quem nos appellamus spiritum privatum, & secundùm illos est arcana quædam Spiritus Sancti persuasio, quâ quisque fidelis certissimè discernat verum scripturæ sensum à non vero, & consequenter credenda à non credendis.

Verùm cùm utrumque fundamentum istud, infirmum, fallax, & instabile esse apertè ibidem & multifariam ostenderimus; necesse est rursum, iis subversis, totam religionis reformatæ machinam

fundiitus

funditus ruere;neque adeò hanc esse veram Salvatoris Ecclesiam,quam utique constet ex eius verbo,supra firmam petram & immobilem, fundatam atque extructam esse.

In quem locum proinde apprimè quadret illa Ioannis Gonterij cogitatio : Religionem reformatam,statuæ illi quam in somnis vidit Nabuchodonosor,videri persimilem; ut quæ dici possit,habere quidem caput aureum;puta speciosum prætextum reformationis Ecclesiæ , puritatem Evangelij &c. pedes autem fictiles;hoc est, sensa & inventa humana,pro divini Spiritus persuasione,falsò obtrusa.

Epist.præfixa ad libellum de cõsequentiis.

Atque illud dictis addere liceat:stante gemino illo Religionis Reformatæ tanquam cardine; non modò funditus subverti , universam Sancti Evangelij & scriptorum Apostoli, uti suprà vidimus , harmoniam : sed in iis quoque fundari, speciosum item, sed perniciosissimum , *libertatis* (quam vocant) *Evangelicæ* nomen : quæ aliud non est, quàm , omni sublato cuiuscunque legis obstaculo , laxata licentia , vivendi ut velis , & credendi quod velis: Quando, si rectè attenderimus, spiritus quidem privatus , omnis erroris & hæresis,cæca latebra est; iustitia autem solius fidei,omnis nequitiæ prostibulum,& spurcitiæ volutabrum. Idque ex istius religionis fructibus apertè constare suo loco à nobis ostensum.

Demum, ut susceptæ,toto isto Tractatu traditorum à nobis, probatorumque recensioni , terminum aliquem constituam:erit ad extremum in rem presentem , sive ipsius reformatæ doctrinæ qualitas,sive eorum qui primi eam Reformationem

nem ſubinducere aggreſſi ſunt, conditio, facultas, animique præſtantia, paulò diligentiùs recognoſcenda.

Et doctrinam quidem ipſam vidimus, pleriſque ſuis in capitibus, non novam duntaxat & inſolentem, venerandæque antiquitatis præiudicio damnatam, neque abſurdam tantùm, ac paralogam, ſecumque ipsâ non ſatis conſiſtentem; ſed inſuper oppidò nefariam, & in Deum ipſum, ac Chriſtum Dominum, blaſphemis dictis contumelioſam. Vt vel inde, eam non de cœlo hauſtam, aut à Dei ſpiritu eſſe profectam appareat, ſed ex orco potiùs, atque avernalis alicuius ſpiritus inſpiratione ſuggeſtam. Et, quod conſequens eſt, non in eâ veram ac genuinam Chriſti Eccleſiam, ſed atram aliquam atque funeſtam, Anti-Chriſti ſynagogam, eſſe fundatam.

Quales autem fuerint primi Reformatæ, ſive diſciplinæ autores, ſive Eccleſiæ conditores, pudor eſt dicere, & non paucos ipſorum diſcipulos, pudet audire. Siquidem, ut de Anglis teſtatur autor Britannomachiæ; *quotidie doctiores omnes modeſtioreſque, Calvino, nec immeritò, ut impoſtori exploratiſſimo, renuntiant.* Et audio alibi nonnullos Lutheraniſmi profeſſores, nolle ſe Lutheranos; ſed Evangelicos appellari, quòd ipſum Lutherum pro homine perdito & æternùm damnato habeant.

lib. 1 c. 7.

Et ſanè, ſiquis attenderit ſuis locis memoratas à nobis, ipſorum in Deum benedictum, & in Chriſtum Dominum horrendas blaphemias, audaces divini verbi corruptiones, & ſub titulo libertatis Evangelicæ, inductam in orbem Chri-

ſtianum

ſtianum impunè quidlibet audendi committendique licentiam; ut ipſos ex iis eſſe appareat, quos vel S. Petrus memorat; *velamen habentes malitiæ, libertatem*; vel S. Iudas: *Dei noſtri gratiam, in luxuriam transferentes:* Ad hæc arrogantiam & faſtum intolerabilem, quo ſe vel Apoſtolis Chriſti præferunt, vel etiam Angelorum Iudices eſſe pronuntiant; neque ſe eſſe, qui loquantur, ſed ipſum Deum per os ſuum loqui inſolenter iactitant; Poſtremò ipſorum (ut iam primi ducis & auſpicis eorum, intimam cum orci ſpiritibus familiaritatem, non inculcem) ipſorum, inquam, qui ſpiritu Dei perinde ſe præditos exiſtiment, fœdam inter ſeſe, & acerbis odiis, diriſque invicem contumeliis exercitam, in fidei dogmatis diſſenſionem. Hæc, uti dicebam, & his affinia, ſiquis attenderit, manifeſtè cognoſcet, ipſos profectò ex eorum eſſe numero, *qui* (ut inquit ſcriptura) *ſe dicunt eſſe Apoſtolos, & non ſunt*; & quod conſequens eſt, fundatam ab eis Eccleſiam, non Apoſtolicam, ſed Apoſtaticam, eſſe cenſendam.

1. Petr. 2.

Iud. v. 4.

Apoc. cap. 2.

Et verò liceat in ipſum Lutherum eiuſque conſortes, iure retorquere; quod ipſe in libro inſcripto, *D fenſio verborum cœnæ* &c. Cùm Carloſtadij, Zuinglij, Æcolápadij, verba Chriſti, ut ait, variè excarnificantium, diverſas expoſitiones commemoraſſet, in eos intorquet; ita proloquens: *Verumtamen Spiritus Sanctus eſt in his ſingulis; & nullus vult erroris argui in tam diverſis & contrariis probationibus, & textus ordinationibus: cùm tamen unam tantùm textus collocationem veram eſſe oporteat. Adeò craſsè & manifeſtè,*

manifestè diabolus nos naso suspendit. Ita Lutherus.

Et tamen quod miserandum est, ab his Doctoribus, cæteroqui (quod item vidimus) in ipsâ fidei doctrinâ instabilibus, variis nec semper sincerè, ut eis fidi possit, illam tradentibus, sed potiùs tempori, quàm veritati servientibus, animas suas committunt infelices populi: neque animadvertunt, qui scopus est præsentis Operis, eos omni verâ certaque regulâ destitui; utique non tenentes caput, hoc est, Christum per Scripturas loquentem, & per Spiritum veritatis, quem adfuturum suæ promisit Ecclesiæ, & non per Spiritum cuiusque privatum (quo nihil est fallacius) easdem fidelibus interpretantem.

Coloss. 2.

Cui argumento illustrando confirmandoque, cum quiddam occurrat adjectu dignum; placet illud in materiæ complementum subjicere. & istâ tanquam coronide, exercitationem cumulare.



CAPUT LIV.

In quo expenditur Tertulliani locus egregius, ex quo ad exremum elucescat, simplex ac prudens Ecclesia Catholica, præ tortuosa, ac fallaci adversariorum in fidei causa procedendi ratio.

SErviet hoc Caput ad id declarandum, quod contra Calvinum suprà non semel intulimus:

ittus: quanto nempe ſimpliciùs, certiùs, & ad fidei unitatem accommodatiùs, procedamus nos Catholici, in quæſtionibus fidei, ad Eccleſiæ ſenſum ac traditionem recurrendo.

Tertullianus igitur libro contra Valentinianos c.3. tortuoſis implexiſque viis hæreticorum columbinam Eccleſiæ Catholicæ ſimplicitatem opponens: his præclaris verbis deſcribit hæreſû & Eccleſiæ Chriſti ingenium. *Abſcondat*, inquit, *ſe ſerpens, quantum poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat; altè* (id eſt profundè) *habitet, in cæca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam evolvat, tortè procedat, nec ſemel totus Lucifuga beſtia.*

In quibus jam duplicem agnoſcis, etiam hodiernarum hæreſum, & præſertim Calvinianæ, calliditatem. Alteram in eo, quòd & ipſa, ſerpentis inſtar latebrarum ambages amet, & ubi ſe peti intelligit, ad cæcos illos ſpriritus privati receſſus, velut ad antrum Trophonij, aut Sybillæ ſpecum, receptet ſeſe. Alteram; quòd in ſemet implexa, & (Plautino verbo) contortuplicata, in rebus arduis vix unquam ſe totam ſemel explicet; Quod in Calvino videre eſt, præſertim in myſteriis, divinæ Trinitatis & Euchariſtiæ.

E diverſo autem *noſtra columba* id eſt Eccleſiæ Catholicæ (dicente alicubi S. Auguſtino: *Eccleſia eſt columba, inter multorum corvorum improbitatem gemens*) *noſtra*, inquam, *columba* (inquit Tertullianus) *etiam domus ſimplex eſt*, non habens anfractus tortuoſos, & cæcos exitus; *in editis ſemper & apertis ad lucem.* Etenim, ut ibidem ſubdit: *nihil veritas erubeſcit, niſi ſolummodo abſcondi.*

L.5. de bapt. contra Donatiſtas c. 16. & Tract. 6. in Ioan.

minibus certitudinem, quasi precariò, mutuetur.

Sic equidem proloquens, perinde atque si sectarij sui, quibus potestatem Scripturas divinas interpretandi attribuit, minùs homines essent, quàm Catholica Ecclesia, aut Pastores eius in Concilio aliquo Oecumenico, illam repræsentantes: aut quasi Ecclesiæ Dei, quam ipse Deus constituit columnam ac firmamentum veritatis, non certiùs, justiùs securiúsque diceremus, ad eum effectum assistere divinum Spiritum, quam ipse Calvinus suis sectariis, tot modis suspectum spiritum illum privatum. Aut quasi denique, quod invidiosè insinuat, fateremur verbi Dei autoritatem fulciri humano subsidio. Quando uti dicebam, illud nobis, prorsus persuasum atque ratum est: ubi evidēs est verbi Dei sensus, illi nullâ morâ interpositâ, subjici omnem humanam intelligentiam. Vbi autem incertus & perplexus est, cùm nondum perfectè nobis loquatur Deus, recurrendum ad eos, quos verbi sui constituit interpretes: qualis nobis est, ipsa Catholica Ecclesia. Cuius utique declaratione accedente, pari obedientiâ subjicimus nos verbo Dei, in sensu ab Ecclesiâ proposito. Qua proinde ratione eadem Ecclesia, non fulcit verbum Dei, quasi ei autoritatem tribuens, sed tantùm efficit ut nobis jam constet, Deum isto sensu nobis loqui; quo posito ei, ut à Deo profecto fidem habemus, non propter humanam autoritatem Ecclesiæ per se præcisè sumptam, sed propter divinam revelationem, nobis Ecclesiæ ministerio manifestatam.

Et simile, si quis attenderit, invenitur in eo

casu quo Deus loquitur, aut mentem suam interpretatur, per Prophetas.

Atque istud semel paulò exactiùs declarari oportuit, ad discutiendas, illas seu offucias, seu nebulas, quas eiusmodi paralogismis simpliciorum oculis offundunt, aut inscitè, aut malignè nostri Novatores.

Quo in genere, breviùs me expediam eo pronuntiato quod adversus nostrũ, in rebus controversis, ad Patrum traditionem, aut etiam Ecclesiæ definitionem recursum; in Tractatu de cælibatu & voto, in hæc verba, quasi pro autoritate suâ, edicit Petrus Martyr Calvinista: *Pronuntio*, inquit, *mihi non videri hominis Christiani; ad hominum judicia provocare à sacris scripturis Dei*. Sic ille.

L. de cælibatu & votis. Neque nobis sanè, mi homo, aliter videtur: quia id quidem tunc solùm verum esset; si ubi de scripturæ sensu constaret, eo neglecto contra sentire vellemus, propter contrariam Patrum aut Ecclesiæ autoritatem: quod insulsè supponis Catholicos facere.

At verò, ubi scripturæ sensus dubius est aut controversus, ad Patrum aut Ecclesiæ sensum recurrentes, non provocamus ad iudicia hominum à scriptusis sacris, sed à vobis, seu à vestrâ perversâ scripturæ interpretatione; supponentes non sine causâ à quovis cordato & contrariis præjudiciis non occupato, sanctorum Patrum & Ecclesiæ Catholicæ iudicium, vestris hominum nudiustertius natorum, voluntariis, & ad anticipatos sensus vestros, detortis interpretationibus, immensè prævalere debere.

Quod

Quod totum per ſeſe quàm rectæ rationi ſit congruens; confirmabit ſtatim audiendus, complurium etiam Reformatorum, hac in parte nobis accedentium, communiſſimus ſenſus.



CAPUT LV.

Ex ipſorum adverſariorum ingenua confeſſione, abſque recurſu ad traditionem ſenſumque Eccleſiæ Catholicæ, præſentes fidei controverſias, nullum unquam finem habituras.

MAgna utique vis eſt veritatis, quæ vel ab invitis eiuſmodi confeſſionem extorqueat: ſed altera ex parte, magna quoque vis eſt pertinaciæ; quæ eos non ſinat ei ſed reddere Eccleſiæ, quam ex eo poſſint pro verâ Chriſti ſponsâ agnoſcere, quòd ea ſola ſic inſtituta ſit, ut (quod prorſus erat ad eius pacem tranquillitatemque neceſſarium) ſola queat, ubi id opus eſt, exortas in eâ controverſias, pacifico exitu, ac fine debito, componere.

Audiatur igitur primo loco, primus controverſiarum, quæ hodieque vigent, motor excitatorque Lutherus. Qui contra Zuinglium de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia diſputans, & exoſus tam diverſas inter ſe eiuſdem ſcripturæ recens excogitatas interpretationes: *Si diutiùs ſteterit mundus*, inquit, *iterum erit neceſſarium, ut propter diverſas ſcripturæ interpretationes, ad conſervandam fidei unitatem, conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Veriſſimè

si non iudicem propriè dictum, normam tamen & regulam, secundùm quam controversias circa fidem dijudicare debet Ecclesia, omnibus proposuit.

At præ cæteris accuratè sapienterque eadem ex gente Fieldus, in quadam Epistola; apud eundem Brerleium: ubi ita præfatus: *Cùm funestas Christiani orbis discordias, & infinitas propè de Religione diffidentium, & nescientium quid certi statuant; aut cui parti adhæreant, dissensiones perpendo &c.* Subdit, omnibus consideratis, ad hoc unicè esse necessarium, ut ante omnia vera Christi Ecclesia cognoscatur. *Quid enim aliud*, inquit, *veritatis studiosis superest, quàm sedulò indagare; quænam tandem sit illa in terris Sanctorũ hominum societas, illa Sponsa Christi, illa Dei viventis Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis; ut illâ semel inventâ, communionem eius amplectantur, consilium sequantur, eius denique iudicio acquiescant.*

In idem conspirant Reformati plures, dum expressè fatentur, nullum fore in Ecclesia Dei finem controversiarum, nisi detur supremus aliquis administrator, ad quem summa rerum deferatur: Pro qua sententia citatur Hockerus ab autore Britannomachiæ l.1. c.6. & apud Brerleium, Iacobus Andreæ, Melanchthon, & alij; eâ quidem in parte Romanam Ecclesiam meliùs esse constitutam agnoscentes. *Tract. 1. sect. 3. §. 10.*

Quod ipsum ingenuè fatetur, deploratque apud Henricum Fitzsimon, Eduvinus Sandes Eques Protestans: *Romani*, inquiens, *pro communi parente, admonitore & Duce, habent Pontificem, ad lites dirimendas, controversias sopiendas,*


ad

Quãobrem in istos Novatores (ut quod sentio, liberè proloquar) iustissimè videtur produci posse, illa Salvatoris Luc. 11. in Scribas & Pharisæos intenta comminatio, *Væ vobis legisperitis: quia tulistis clavem scientiæ*; eius videlicet quæ conducit ad regnum cælorum: *ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.* Quæ verba etiam S. Ambrosius, ad eam locum S. Lucæ, ad hæreticos transfert, ita proloquens. *Arguuntur sub nomine Iudæorum, & futuro iudicio statuuntur obnoxij: qui, cùm doctrinam sibi divinæ cognitionis usurpent; & alios impediunt, nec ipsi quod profitentur agnoscunt.* Proprium namque hæreticorum est, doctrinam sibi divinæ cognitionis, atque eo sensu, clavem scientiæ (qua nimirum voce Tertullianus, interpretationem legis intelligit) quasi sibi propriam usurpare; nihil pensi habentes, quid in rebus fidei controversis ferat communis sensus Ecclesiæ, sed ex sensu proprio, seu privato spiritu, cuncta definientes, atque seipsos, & alios quos ad se pertrahunt, miserè fallentes, atque perdentes.

L. 4. contra Marc. c. 2.

Hunc igitur in modum censebam, eum Lucæ locum perappositè in rem præsentem exponi posse. Cùm vera clavis, seu via certa, assequendi eam scientiam, quæ conducat ad regnum cœlorum, sit recursus ad sensum, traditionem, definitionem Ecclesiæ, quam (uti fatentes vidimus complures ex adversariis) constituit Christus verbi sui, seu divinæ veritatis, non tantùm fidelem custodem, sed etiam legitimam interpretem; eos qui ab Ecclesia Catholica separantes se, eaque proinde certissimâ viâ neglectâ, ad sensus privatos,

ut ait, *traditionem*, sed falsam atque adulterinam, per quam furtivè & clandestinè subingredi tentantes, aut perfractâ etiam Ecclesiæ autoritate, vim inferentes; divinam non inveniunt, nec ingrediuntur, sed transgrediuntur, veritatem: Eundemque & tunc, & modò, & semper (quod, ubi se offert occasio, libenter admonui lectorem meum) extitisse hæreticorum genium, atque calliditatem.



CAPUT LVI.

Extrema mea, atque amica, ad Novatores, si qui hæc legerint, de repetendo Veteris Ecclesiæ gremio, ex Sanctorum præsertim Augustini & Vincentij Lirinensis dictis, concepta commonitio.

ENimverò istis, quæ in causam nostram tam multa produximus, atque, ni valdè fallor, efficaciter approbavimus, à vobis, amici, ritè perpensis, atque in æternitatis staterâ, perinde atque si divino adstaretis iudicio, iusto pondere examinatis, quid denique vobis subest consilij, aut quemadmodum animo vos affectos esse sentitis? Eos quippe de vobis alloquor, quibus aliqua iudicij subtilitas, & non nimium adsit pertinaciæ: nam & hi qui nimis pertinaces sint, ne ad aures quidem, ea quæ commentamur, admiserint; quibus autem sit obtusior acies animi, hi, quæ audierint, non pro eo fortassis ac res postulat, assequuntur.

Sed annon vos, inquam, expergiscimini, & ad tantam lucem, quæ sensus vestros everberat, aperit

aperitis oculos; iamque deprehensâ sectarum vestrarum vanitate, mendaciis, perversitate, attenditis denique, quàm lubrico in loco periculosóque vestra versetur æterna salus; ac secluso tantisper cæco illo & hostili Romanæ sedis odio, quod ex ipsa temporum infelicitate, fallacibus inducti fabulis jam à teneris forsan imbibistis, Augustini verbo, *in Petro Petram intelligentes*; eidem ad extremum auscultetis Doctori sapientissimo iuxtà ac sanctissimo: Qui perinde, ac vos Lutheri modò, Calvini, aut Zuinglij (quos quidem sectarum Reformatarum velut quosdam Triumviros nomino) fallaciis detinemini; sic ipse ab adolescentiâ per annos complures Manichæorum obvolutus & jactatus erroribus, neque usquam alibi, stationem quietam, aut salutis portum reperiens, Romanæ gremio sese reddidit, Ecclesiæ, illiusque quâ tunc securus frueretur, felicitatis consortes fieri percupiens, omnes errantes, illos eôdem provocabat verbis amplissimis; quæ ante hac aliâ occasione posita, rursum ad hoc loci audientur opportunissimè

De Agone Christiano cap. 31.

Cùm igitur (ait magnus Doctor libro de utilitate credendi c.17.) *tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus: dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani, per successiones Episcoporum, frustra hæreticis* (uti modo facitis) *circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate, damnatis; culmen autoritatis obtinuit. Cui nolle primas tradere; vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Sic ille,

ille, non de aliquâ opinor, Lutheranâ aut Calvinianâ Ecclesia, sed de Romanâ & Catholicâ agens:

Verumtamen potiùs forsan attendetis, Galli Reformati, è Gallia vestra Vincentium Lirinensem, jam ab annis mille ducentis, adversus *profanas vocum novitates*, quales hodieque apud vos vigent, declamantem, iisque utentem vocibus, quæ in hæc tempora apprimè, & propriâ quadam ratione, conveniant. Nam cùm verba Apostoli Pauli ad Galatas 1. v. 8. protulisset: *Clamat*, inquit, *ille vas electionis, ille Magister Gentium, ille Apostolorum tuba &c. Vt siquis novum dogma annuntiaverit, anathema sit. Et contrà reclamant ranæ quædam, & ciniphes, & muscæ morientes; quales sunt Pelagiani. Et hoc Catholicis: Nobis, inquiunt autoribus* &c. Quæ dixi apprimè & propriâ quadam ratione, in hæc ipsa tempora convenire: quibus videlicet, isti Apostolico verbo reclamant & obstrepunt, *ranæ quædam* in lacu Lemano, id est Calviniani; *& ciniphes*, è silvis Tigurinis, id est Zuingliani; *& muscæ morientes*, in popinis Vvittembergensibus, id est Lutherani. Quid autem dicunt Catholicis? *Nobis inquiunt autoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis; reiicite antiquam fidem; paterna instituta, maiorum deposita; & recipite: quænam illa tandem? Horreo dicere: sunt enim tam superba, ut mihi non affirmari, sed ne refelli quidem, sine aliquo piaculo posse videantur.* Ista Vincentius. Cap. 14.

Qui rursum postea, & istas refert quorundam ex ipsis voces, easque & sensu & formâ loquen- Cap. 16.

di-

di adeò fortes ad vestrum genium, ut hodie à vobis ortæ crederentur, si pro iis non proferrent antiquum autorem. Ita enim ævi sui sectarios inducit loquentes: *Venite, ô insipientes & miseri, qui vulgo Catholici vocitamini; & discite fidem veram; quam præter nos nullus intelligit, quæ multis antè sæculis latuit, nuper verò revelata & ostensa est.*

Tract. 2. c. 2. sect. 10 §. 3. Nec verò absimili modo Lutherani varij apud Brerleium loquuntur de eo dogmate, quod animam esse Reformationis vestræ asseritis, nimirum de justitia solius fidei: nominatim autem quidam Foxius; dicens, Lutherum, fundamentum fidei Catholicæ diruisse; *aperiendo*, ut ait, *venam quādam diu absconditam; nempe gratuitam nostram, per solam in Christum fidem, iustificationem.* Vt hinc colligi possit; eorundem vos animari spiritu, quorum idioma etiam nescientes usurpatis, & phrasim ipsam imitamini.

Finiam: si, clausulæ vice, huc revocavero præclaram summi Doctoris Augustini sententiam, idcirco opportunè extremo hoc loco repetendam, ut altiùs animo legentium infigatur. Is quippe vir tantus, & quem vos subinde summis celebratis laudibus, recensere volens *charissima*, ut appellat, *vincula*, quibus obstrictus teneatur Ecclesiæ Catholicæ, & pariter eidem obstringi oporteat, quicunque percupiant animæ suæ saluti consultum esse: Tractatu contra Epistolam Manichæi c. 4. ita Philosophatur. *In Ecclesia Catholica*, inquit, *multa sunt, quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum. Tenet autoritas, miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa*

sede

ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas, poſt reſurrectionem Dominus commendavit uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotum. Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine causâ, inter tam multas hæreſes, iſta ſola Eccleſia obtinuit &c. Sic Auguſtinus.

In cuius præclaro ſermone, quot apices attendo, tot pæne videor damnationis veſtræ, ô amici, argumenta videre: niſi tanti viri exemplo ſapientes, attendatis, ut cum Iſaia loquar, *ad Petram unde exciſi eſtis*; & depoſitis tandem erroribus, demum manûs detis, tot documentis inſinuatæ, ac demonſtratæ veritati. Cap. 51.



FINIS.



